

Okla. has this edn only

π^4 A–P^8 Q^6.

Mathias Tiling

1634–1685

only ed

NUC: DNLM
ICU

mercurius

Viana

1681

CINNABAR
OR HgS, MERCURIC SULPHIDE

CINNABARIS = VERMILON
OR HgS, MERCURIC SULPHIDE

MATTHIÆ TILINGII,

Med. Doctoris ejusdemque Facultatis in Universitate Hasso-Schaumburgica, quæ est Rinthelii ad Visurgim, Professoris Primarii, Archiatri Hassiaci, Sacri Romani Imperii Academiæ Naturæ Curiosorum Zephyri, &c.

CINNABARIS MINERALIS,

Seu

MINII NATURALIS

SCRUTINIUM PHYSICO-MEDICO-CHYMICUM,

Ad normam & formam Sacri Romani Imperii Academiæ Naturæ Curiosorum directum.



FRANCOFURTI AD MOENUM.

Sumptib. Jacobi Gothofredi Seyleri.

Typis Balth. Christ. Wustii.

ANNO M. DC LXXXI.



ILLUSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO COMITI ET DOMINO, DOMINO

SIMONI HENRICO,

COMITI AC NOBILIORI DOMINO IN LIPPIA, COMITI ET DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

Hoc

Cinnabaris Mineralis,

Seu

Minii Naturalis

Scrutinium Physico-Medico-Chymicum

Devotissimè consecrat

Subjectissimus

MATTHIAS TILINGIUS, Med. D. Prof. Prim. Archiater Hassiacus, &c.



OFfero *naturale* TIBI *Minium*, GENEROSE
ILLUSTRISQUE, POTENS
NOBILITATE COMES!

Non *Minium*, quod terra ferax, sed quod mea Musa
Ingenii cultu Rintelii peperit.
Est, fateor, munus vix TANTO NOMINE dignum,
(Quippe CUI MAGNO maxima quæq; placent)
Attamen, excipies CLEMENTER scripta Clientis,
Qui TIBI, CELSE COMES, Fata benigna petit.



SYLLABUS CAPITUM.

Rerumque observabilium, quæ in hoc Cinnabaris Mineralis, seu Minii Naturalis Scrutinio Physico-Medico-Chymico traduntur.

lis

CA-

Σὺν



Σὺν θεῷ καὶ νῷ.

PRÆMISSUM
Candido & Benevolo Lectori
ALLOQUIUM.

RErum omnium præpotens Conditor, cum totam hujus universi machinam, cœlum & terram, crearet, hominemque ad imaginem suam animâ rationali & humano corpore illius ergastulo condecoraret, eodem etiam tempore terram variis & immensis beneficiis, ad vitæ humanæ sustentationem necessariis, accumulavit: sylvas multiplici animantium genere & sexu: mare & flumina reliqua piscibus: aërem volatilibus: campos herbis, fruticibus, arboribus & innumeris floribus ornavit, ac montes unà metallis ac mineralibus ditavit, ut cœleste animal, homo, in quem quasi omnia sunt congesta, quæ Numinis Divini Majestas in res cæteras, aliud alii tribuens, dispertiit, dominus illorum sit; quibus partim ad corporis tutelam, partim ad medicinam in casu necessitatis uti possit. Ex quibus Naturæ Consulti, & ex his Medici tria formârunt Regna, Minerale, Vegetabile & Animale. Minerale ex mineralibus: Vegetabile ex plantis: Animale ex animalibus desumpta medicamenta suppeditat.

Inter hæc autem medicamenta ex triplici Regno

petita mineralia & metalla medendo vegetabilia & animalia longis ſuperant paraſangis, iiſque fortiora nec non efficaciora ſunt. Hæc enim agunt in nos tantiſper atque ſtomachus circa illa operatur, nec ulterius pergunt, quin prius omne deponant fermè remedii robur; malè ſiquidem ageretur nobiſcum, ſi ſtomachus non benè valens domare aſſumptum vegetabile illud non poſſet ſubter clientelam ſuam ſubigere, ſi viribus integris ad corporis habitum pergeret, excrementorum conſors quoque fieret, vel ſanguificandi œconomiam turbaret, & ita majoris difficultatis & operoſioris laboris effectus ejuſmodi remediorum eſſet, quàm fructus indè exſpectandus. Metalla contrà & mineralia nequeunt unquam in alimentum abire, ſed ſuos ſervant fines, ut quæ non in cibos, ſed ad medelam ſunt deſtinata pharmaca, perſeverent, etſi intrò aſſumpta. In ſtomacho namque incipiunt radium directum virium ſuarum virtutemque dotalem exponere, ut in corpus totum ſparsâ hauſtâ in Archeo vi radiali irrorata ſanitas inde ſuccedens avidè ſuſcipiatur. Sunt etenim metalla ſpecula quædam lucentia, quæ vim habent penetrandi & illuminandi Archeum à ſuis erroribus, furoribus & defectibus, quòd illum reſtituant in nitorem tincturâ dotalis perfectionis. Et quamvis taliſmodi mineralia non ſint cibalia, nec de ſorte corporis humani participent, ſpeculi tamen internam vim habent, atque maximè poteſtatem efficacem, Archeo humano integro ſedatoque contiguam, qualis erat Archeus ante mentem conceptam, quæ poſtmodum à recto ſui tramite alienata eſt. Has inſignes dotes à Deo ter Opt. Max. obtinent, ut digeſtivæ poteſtati pleniſſimè pertinaciterq; reſiſtant, ne in alimentorum rempublicam defle-

deflectant, & ita geniales ſui poteſtates liberas ac infractas ſervent.

Sunt quidem, qui uſum internum mineralium, præcipuè mercurialium, antimoniatorum, metallicorum & ſalinorum ex medicina deturbant, cùm ſint venenata, acria & corroſiva. Verùm non omnia metallica ſunt venenata. Ita medicamenta Martialia, Jovialia, Saturnina, ritè præparata, innoxia ac ſalutaria ſunt remedia. Et ſi quædam, ut ♁nium, ☿rius, &c. veneni nomine ſuſpecta ſint, venena ſeparanda ſunt à remediis, & remedia à venenis. Sic ♁nium, inquit *Helmontius tr. de Febrib. cap.* 15. quamdiu vomitum aut ſedes movet, & ☿rius, revivificari poteſt, venena ſunt, nec viri boni remedia. Sed dum ad apicem venerunt, in quem à Deo deſtinantur, nemo mortalium illorum virtutes indagare, & elogiis condignis condecorare poteſt. Clamant in cœlum præſtantiſſimarum rerum poteſtates, ſe fruſtra quaſi veniſſe, vix quemquam eſſe, qui vincula earum ſolvat, ut benevolentiam, quam mortalibus debent, perſolvant. Si qua etiam acrimonia aut corroſio adeſt, per artem chymicam ita corrigi poteſt, ut ſæpè ſaccharo evadat dulcior. Facilius & ad manum hoc patet, v. gr. flammula, ranunculus, apium riſus, &c. vim ſuam cauſticam mox deſtillando deponunt: hydropiper acrimoniam: ☿rius ſublimatus vim corroſivam &c. Spiritus ⊖ lis, ⊕li, ⦶tri corroſivi rectificando miteſcunt: Cinnabrium nativum, ſeu Minium naturale toſtione, ſublimatione, coctione & lotione vim ſuam venenatam ac corroſivam amittit. Deindè non per ſe, ſed cum aliis, intentioni Medici reſpondentibus vehiculis, miſta propinantur. Si ergò metallica medicamenta ritè correcta fuerint, mitigata

& methodicè adhibita, metus iste, διάθεσιν perniciosam scilicet post se relinquere de nihilo est. Et sic omissis exemplis aliis, sola Cinnabaris nativa, seu mineralis, quam etiam Minium naturale diximus, optimè depurata, scoriisque suis venenatis ac malignis liberata, suas maximè notabiles & mirabiles vires in desperatissimis etiam morbis, cum symptomatum multorum congerie stipatis, exseruit. Licèt enim directè & per se non sit diaphoretica, polychrestum tamen exaltatorium & præsentissimum ac securissimum alexiterium est, & præsertim in phantasiæ vitiis, convulsionibus epilepticis, pleuritide, suffocationis hypochondriacæ (hystericæ) ne laudano opiato sæpè sedandæ, & colicæ torminibus placandis, in arthritide vaga, lue venerea, scabie maligna, variolis, morbillis & innumeris aliis cùm internis, tùm externis affectibus debellandis miranda præstat; cùm enim 🜍re ♁nii & ☿rio polleat, utriusque beneficio dolores sedat, venenum epilepticum domat, atque alios morborum impetus gravissimos reprimit. Et cum interdum noxa quædam ab ejus usu orta, certè non ipsi directè & per se erit tribuenda, sed vel minus ritè præparatæ, vel inconvenienter in usum ductæ; atque hoc modo erit, ut in manu furiosi gladius.

Quare Cinnabaris hujus nativæ & mineralis, seu Minii naturalis naturam & vires, cùm materia difficilis, rara, nobilis & præstans sit, atque de ea examussim exacteque nemo scripserit, vi legum Naturæ Curiosorum, indagare ac examinare præsens erit noster labor, cui Deus in Trinitate unus sua gratiâ ac benedictione adesse velit! Te verò, Lector Humanissime, maximoperè rogamus, Tractatum hunc minus exasciatum animo benevolo acci-

pere

pere, atque in posterum plura in summum Reipublicæ Medicæ ornamentum ac commodum à nobis exspectare non dedigneris.

CAPUT I.

Cinnabarin Nativam, seu Minium Naturale ad Mineralia refert.

ADmodum latè sumitur vocabulum minerale; in communi de quovis fossili prædicatur, quod è terra eruitur; ita enim origo vocabuli ex *Hebræo* (è terra) potissimum indicat; in specie tamen illa tantum mineralia dicuntur, quæ metalla sunt, aut metallis gravida; sic propriè, cum venæ metallicæ lapidibus intermixtæ sunt, ejusmodi lapides Germanicè Ertzstueffen appellantur, ut ♄nium, bismuthum, Zinckium aliaque mineralia vocantur. Metalla verò perfecta, ut aurum, argentum cæteraque nonnisi genericè mineralia nominantur, sed nomen metalli specialiter servant, quod ab *Hebræo* Metil (fundere) originem ducit.

Mineralia hæc distinguunt Physici & Chymici in metalla vera & perfecta, & imperfecta, veris tamen & nativis affinia; deindè partes quasdam mineralium considerant, vel naturâ, vel arte factas, hæcque mineralia sive metallica decomposita vocant, ad differentiam simpliciorum compositorum, quæ duplicia sunt; eorum enim aliqua imperfectè mixta sunt, hinc friabilia sunt: aliqua perfecta sunt; hinc malleabilia. Mineralia perfecta metalla vocantur; & hæc iterum vel perfecta, vel imperfecta sunt. Perfecta sunt, aurum & argentum. Imperfe-

cta, cuprum, ferrum, plumbum & ſtannum. Dicuntur autem perfecta mineralia hæc metalla, quia definitio metallorum iis competit; dura enim, ſolida, ductilia & malleabilia ſunt. Cætera enim mineralia non propriè loquendo metalla, ſed ſaltem ſemimetalla ſunt. Et quamvis mineralia eadem principia cum metallis habeant, qualitatis tamen minus perfectæ ſunt, & quantitatis, reſpectu metallorum inæqualis. Inter minus perfecta recenſentur ♁nium, biſmuthum, Zinckium, marcaſita; hæc enim reverâ metallica, licèt imperfecta corpora, metallorum aliorum reſpectu, ſunt; id eſt: in hiſce mineralibus metalleitas cernitur; unde ea compoſita quoque dicuntur; quæ enim nullam metalleitatem exhibent, ſed terrea exiſtunt, decompoſita ſunt, ut cadmia, kobolthum, magneſia Braunſtein vulgò dicta, &c. Decompoſita vocantur aliàs omnia illa, quæ ex diverſis compoſitis, licèt unius, vel diverſi generis oriuntur. Sic cum terræ metallis, vel lapides terris permixti ſunt, decompoſita prodeunt; imò cum diverſæ ſpecies unius generis permiſcentur, ut varia metalla, inter ſe quoque decompoſita producuntur, ut in orichalco videmus, quod metallum decompoſitum eſt.

Principia hujuſmodi mineralium dicimus ⊖l, 🜍ur & ☿rium; non quòd vulgare ⊖l, 🜍ur & ☿rius ipſa pura principia exiſtant, ſed quòd pars quædam iſtorum decompoſitorum pro principiis mineralium habenda ſit, atque ita totum pro parte ſumatur, denominatioque fiat à potiori; ⊖l enim, 🜍ur & ☿rius decompoſita ſunt, & proindè ſic appellantur. Primum mineralium principium eſt lapis fuſilis, ſeu terra lapidea, impropriè ſcilicet ⊖l

dicta;

dicta: alterum eſt terra pinguis, impropriè 🜍ur dicta: tertium eſt terra fluida, impropriè ☿rius dicta. Cum igitur ea pars ab illis ſeparatur, quæ terram jam dictam conſtituit, & prorſus ſimplex mineralium principium eſt, non amplius, niſi impropriè ⊖l 🜍ur & ☿rius dici poteſt. Et licèt veteres primam terram, lapidem nimirum fuſilem, ſub fixi ⊖lis nomine complexi fuerint, res tamen indè non fit obſcura, cùm in quovis ⊖le alcali terra fuſilis & vitreſcibilis, tanquam primum mineralium principium, lateat; ſicut etiam in 🜍re communi, terra pinguis, ut alterum principium occultum eſt: & in ☿rio vulgari, terra fluida, veluti tertium principium abſcondita eſt. Philoſophis ergò hæ terræ ſeu principia impropriè ⊖l, 🜍ur & ☿rius dicuntur; contrà vulgaria vocantur, cum in decompoſitis exiſtunt, ut in ⊖le, 🜍re & ☿rio communi. Antequam autem ad hanc decompoſitionem veniunt, alia puriora & magis homogenea, ſimpliciora nempe mixta conſtituunt. Si enim cum terra ſecunda (🜍ris) & tertia (☿rii) miſcentur, compoſitum oritur, non quidem perfectum metallum, ob defectum primæ terræ (⊖lis) minerale tamen, nempe realgar, quod 🜍reis fæcibus permixtum eſt; ſi iiſdem liberetur, levi labore ☿rium Philoſophorum præbet; eſt enim volatile, fuſile, argentum in fluxu tingens, & reperitur non rarò in mineris, inſtar rubini tranſparens, ſed in eo peccat, quòd nimium de terra ſecunda ſeu 🜍re participet, ac proindè mixtum ſolidius fiat; hâc ergò privari debet, ut fluidior reddatur; tunc enim arſenicum Philoſophicum erit. Nonnunquam etiam in ſtatu reperitur, quo tertia terra, ☿rius nimirum prædominatur; verùm tale mixtum nec nominari, nec monſtrari

 ſtrari

ſtrari facilè poteſt. Tertia hæc terra, ☿rius nempe, prout cum ſecunda, 🜍re nimirum miſcetur, & compoſitum conſtituit; ita ſecunda terra, 🜍ur, cum prima, ⊖le perſæpe miſcetur; hînc lapides, qui in colore variant, pro ſecundæ terræ, 🜍ris ſcilicet differentia & tinctura, & in his rurſus differentiæ variæ, pro prioris, vel ſecundæ terræ, id eſt, ⊖lis & 🜍ris quantitate videntur.

Eſt hæc quidem prima mineralium principiorum coitio, quamvis imperfecta videatur, certi tamen adhuc mixtionis eorum gradus ſunt obſervandi. Conſideranda enim primum veniunt principia, nempe tres terræ jam præfatæ, ⊖l, 🜍ur & ☿rius, quatenus per ſe ſubſiſtunt, ſeu quatenus ſemina & principia mineralium conſtituunt. Deindè principia duplici modo miſcenda ſunt, primò inter ſe, poſtea cum aliis rebus heterogeneis. Inter ſe miſcentur, vel imperfectè, cum tres iſtæ terræ non omnes conveniunt, ſed una earum deeſt, ut in lapidibus, & variis fluoribus, ac terris metallicis obſervamus: vel perfectè, cum omnes tres terræ miſcentur & metallum conſtituunt; quæ mixtio rurſus duplex eſt, vel æqualis, vel inæqualis. Æqualis eſt, cum tres terræ tali proportione miſcentur, ut malleabile metallum conſtituant, quod triplex eſt; in duobus enim metallis, ut plumbo & ſtanno, tertia terra, ſeu ☿rius prædominatur, quæ proindè fluunt, antequam igniuntur; in cupro & ferro ſecunda terra, vel 🜍ur excedit; hînc igniuntur, antequam fluunt: in auro & argento æqualis trium terrarum, ſeu ⊖lis, 🜍ris & ☿rii mixtio eſt; hînc quamprimum igniuntur, fluunt. Inæqualis autem principiorum mixtio eſt, cum principia falsâ proportione miſcentur, ſpuriaque metalla producunt,

quæ

quæ vel volatilitate, vel fixitate, vel friabilitate, ob inæqualem mixtionem peccant, ut ſunt ♁nium, biſmuthum, zinckium, kobolthum & marcaſita. Cum rebus aliis heterogeneis principia duplici ratione miſcentur; primò, quando aquam in mixtum recipiunt; hinc ⊖ l ⦶trum, alumen borrax: ſecundò, cum terram in mixtum recipiunt: ſive ſimplicem; undè 🜍ur, bitumen, lithanthraces: ſive mixtam metallicam & ſimplicem; undè arſenicum, argentum vivum, cinnabaris: ſive ſimplicem mineralem & lapideam varieque mixtam, undè ipſæ mineræ, vulgò die Stufften / Aertzſtein: aut minerarum effluvia, vulgò Galmay / Berggrien / Schmalten / Rötel / bolus. Innumera enim mixta oriri poſſunt, ſi compoſitorum & decompoſitorum rationem habeamus.

Mineralia ergo mixta triplicia exiſtunt, mixta nempè ſimplicia, compoſita & decompoſita. Simplicia primùm vocantur, undè compoſita & decompoſita conſtant. Remotiſſima principia ſunt terra & aqua: propinqua tres terræ, ſeu ⊖ l, 🜍ur & ☿rius. Ex his ſubtilibus terris tria compoſita oriuntur, cum nimirum invicem miſcentur; quæ compoſita licèt ſibi affinia ſint, generaliter tamen, pro trium principiorum qualitate & quantitate variantur, quemadmodum in animalibus carnes, in vegetabilibus pulpæ variant; licèt in genere caro ſit caro, & pulpa pulpa; hinc in hac minerali differentia tria compoſita exiſtunt, nempe terræ, lapides & metalla; quæ licèt ſibi ſimul affinia ſint, nihilominus non modò in hac generali trina diviſione, ſed & in quovis genere ſpecificè differunt; variæ namque terræ dantur, quas in vulgares, medias & nobiliores diſtinguunt, & quæ pingues, macræ,

ſalſæ, oleoſæ ſunt. Varii quoque lapides exiſtunt, qui ſine certa figura, vel cum certa figura, vel miſcellanei ſunt. Incertæ figuræ lapides vel diaphani, vel ſemidiaphani, vel opaci, hique rurſus nobiles vel ignobiles, majores vel minores ſunt. Lapides, qui certas figuras exhibent, vel naturalium, vel artificialium ſimulacra repræſentant. Miſcellanei vel animales, vel dubii ſunt, & non ſufficienter cogniti. Differunt & duritie lapides, pondere, ignitione, colore, ſplendore. Tertium compoſitorum genus metalla complectitur, quæ ex principiis mineralibus æqualiter, vel inæqualiter, homogeneè, vel heterogeneè mixtis conſtant; undè aliqua, mineræ (Ertz) vocantur, heterogeneis rebus, ut terris & lapidibus adhuc permiſta; alia propriè mineralia dicuntur, ut ♁nium, biſmuthum, &c. alia metalla liquefactione purificata ſunt, & malleo tractabilia; variis autem hæc omnia affectionibus phyſicis differunt, volatilitate nimirum, fixitate, malleabilitate, friabilitate, gravitate, levitate, poroſitate, compactione, colore, fluxu, ſono. Compoſita excipiunt decompoſita; & quidem non artificialia, ſed naturalia, quæ rurſus exiſtunt triplicia, terrea ſcilicet, lapidea & metallica. In his omnibus autem vel ſicca vel liquida ſunt, dura aut mollia. Terrea decompoſita duplicia ſunt, ſicca, ut bitumina, ſulphura, ſalia liquida, ut olea & aquæ ſalinæ, interdum ſolæ aquæ. Lapidea decompoſita ſicca ſunt, ut animalia & ligna, nec non metalla, quatenus lapidoſa facta, ut varii fluores & tophi, ſeu ſalia, ut alumen, borrax: vel liquida, ut aquæ lapideſcentes & lapidificantes. Metallica decompoſita vel ſicca vel liquida ſunt. Sicca iterum vel pinguia, vel media, vel macra ſunt. Inter ſicca pinguia minera-

lia

lia locum obtinent, & inter hæc ♀ur metallis gravidum, ſeu ♀ur non commune, ſed minerale, arſenicum, realgar, auripigmentum ſeu ſandaracha. Media includunt argentum vivum, & ejus ſuperdecompoſitum, nempe Cinnabrium, ſive factitium per ♀ur & communem ☿rium, ſive per ♀ur & ☿rium metallorum, ſeu nativum, cui minera adnumeratur, vulgò Rothgüldenertz; quæ mater ☿rii vivi; undè non pauci ſibi primam metallorum materiam ſpondent. Macra ſunt vitriola, ſive naturâ, ſive arte facta, Solis, Lunæ, Veneris, Martis, Saturni, impropriè ſaccharum dictum. Ad hæc metallica decompoſita ſicca etiam terrea referri queunt; quæ duplicia exiſtunt, naturalia & artificialia. Priora ſunt; cadmia, kobolthum, magneſia, vulgò Braunſtein dicta, quibus chalcitis, miſy, ſory, melantheria, galena, lapis calaminaris, ſpodos acceuſentur. Poſteriora, igne, aut variis aquis facta, in igne intra fornacem reſultant, vel in primis viis, ſive ea pavimento incumbant, ut ſcoria, lapidis orbes, diphryges, ſive parietibus adhæreant, ut galena factitia, cadmia fornacum, tutia *Alexandrina*, pompholyx & ſpodos: vel in ſecundis, cum metallum à metallo ſecernitur, ut lithargyrium, molybdæna; vel cum metalla colliquefiunt, & nova decompoſita oriuntur, ut orichalcum Blachmal/ & legaturæ metallorum. Extra fornacem erumpunt rubigines & ſquamæ, ut ærugo, ferrugo, minium, album *Hiſpanicum*, ultra marinum, cœruleum, quorum aliqua igne, alia ſolventibus aquis parantur. Ad ſquamas ſquama æris, flos ſeu palea æris & ferri, nec non ſtomoma referuntur. Metallica decompoſita liquida ſunt varii ſucci, aquæ vitriolatæ, acidulæ & thermæ minerales.

Omni-

Omnium autem horum decompositorum mixtionem vel aqua, vel terra intrat, aut diversæ qualitatis, aut diversæ quantitatis; decomposita hinc homogenea, heterogenea, fortis vel debilis mixtionis fiunt. Decomposita verò diximus, quod tria jam dicta composita, sive terræ, sive lapides, sive metalla alias compositiones ingrediantur; unde novum & duplicatum mixtum, seu compositum de composito oritur.

Et ita Cinnabarin nativam inter mineralia locum habere jam percepimus; hîc etiam mineralis dicitur; metallica etiam appellatur *Ioh.Fr.Pico Mirandulæ lib. 2. cap. 10. de Auro*, & metallis affinis *Gualtero Charletoni Onomastic. Zoic. & Mantiss. de fossil. generib. pag.* 297. cùm in fodinis metallorum, & in lapide metallico candidissimo reperiatur. Hujus Cinnabaris mineralis, nativæ, seu Minii naturalis naturam ferè imperscrutabilem, ejus præparationem necessariã, & vires, in innumeris certè morbis profligandis, admirandas, juxta leges Sacri Romani Imperii Academiæ Naturæ Curiosorum, paucis, quantum temporis aliorumque negotiorum gravissimorum ratio permittere velit, *in sequentibus capitibus* descripturi sumus.

CAPUT II.

Cinnabaris Mineralis, seu Minii Naturalis Etymologiam declarat.

QUod in præsenti Tractatu indagare ac examinare decrevimus, est Cinnabaris mineralis, seu Minium naturale, cujus natura & essentia satis nobis

nobis obvia erit, si ejus nominis explicationem, illius item descriptionem, locum natalem, causam materialem, differentiam, &c. perlustraverimus. Illius nominis explicatio per etymologiam, homonymiam, synonymiam & paronymiam fit clara; resque ipsa evadit illustrior. Haud igitur deterriti invidioso quorundam effato: iis futuram suam senectutem jucundiorem, sapientiæque munere uberiorem, qui in juventute de nominibus parum laborârunt, non negligemus τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψιν, τῆς παιδεύσεως ἀρχὴν, sed operæ precium judicamus *hoc in capite* Cinnabaris mineralis, seu Minii naturalis etymologiam, quantum ratio nobis suppeditaverit, declarare. Cinnabaris, Cinabaris, masculini & fœmini generis, Cinnabari, Cinabari, Cinnaber, Cinaber, Cinnabrium, Cinabrium vox *Græca* est, appellaturque κιννάβαρι, κινάβαρι, ἕως, τὸ: Cinaprium *Barbaris* & Cinabrö *Italis* dicitur. Esse nomen *Indicum* Cinnabarin scribit *Plinius hist. nat. lib.* 33. *cap.* 7. Cinnabarin quidam, teste *Isidoro lib.* 19. *cap.* 17. à dracone & barro, id est, elephanto cognominatum volunt. *Ajunt* enim, *draconum esse sanguinem, dum implicant elephantes. Ruunt nempe belluæ, & dracones obruuntur, quorum fusus cruor terram inficit, fitq; pigmentum, quicquid solo finxerit. Est autem pulvis coloris rubri.* Sed ajunt, & falluntur.

Nostrum siquidem Cinnabrium, ut egregiè *Jul. Cæsar Scaliger Exerc.* 172. asserit, ab illa Cinnabari *Dioscoridis* longè diversissimum est. Id quod inter metalla excussum, & decuit & oportuit. Cinnabaris etiam modos tantummodo duos citat *Theophrastus lib. de lapid. pag.* 12. nullam habens mentionem draconum & elephantum sanguinis, quem Cinna-

baris

baris nomine citat *Plinius l. c.* & quem antea *Dioscorides lib. 5. cap.* 69. exploſerat à vera Cinnabari differentem, quam voluit *Bulcaſis*, vel quis alius antiquior imitari, & minimè potuit, colorem quadam ex parte, non ex integro conſequutus; factitia enim Cinnabaris in fronte ſuum ruborem, naturalis in receſſu geſtat ſplendidiorem multò; & quod ſanguinem repræſentet magis; unde ortum habuerit opinio eliſi ſanguinis ex pugna draconum & elephantum; quæ tamen ſaltem fabula eſt. Et hinc etiam *Plinium* falli ſcribit *Jacobus Dalechampius comm. in Plin. hiſt. nat. lib.* 33. *cap.* 7. cum Cinnabari verum ſit ſanguis draconis arboris, in *Fortunatis* Inſulis naſcentis, quas *Canarias* vocant.

Κιννάβαρι *Heſichius* interpretatur ſpeciem veri coloris, quem vocamus κόκκινον, coccinum. Cinnabarin lachrymam arboris *Indicæ*, & ſanguinem draconis à colore vocatum cenſet *Hadr. Junius*, non autem quòd ſanies ſit draconis eliſi elephantorum morientium pondere, permiſto utriuſque animalis ſanguine, ut *Jul. Solinus in var. hiſtor. lect. cap.* 38. cum *Plinio ſomniavit*. Κινάβαρι *Arrianus in Periplo* non eſſe draconis ſanguinem, verum lachrymam arboris concretam dixit. Κινάβαρι τὸ λεγόμενον ἰνδικον, ἀπὸ τῶν δένδρων, ὡς δάκρυ συναγόμενον. Cum igitur Cinnabari ſaturo ſit colore, δράκοντος αἷμα hac de cauſa creditum eſt. Confer *Philander in lib.* 7. *Architectur Vitruvii cap.* 8. *& Brod Miſcell. l.* 3. *cap.* 1.

Vicinæ voces videntur Sinopis & Cinnabaris, & cum utraque convenit *Germanicum* vocabulum Zinnober. Ideò *Hebræis* שָׁשַׁר vertitur & Synopis & Cinnabaris: utraque rubra. Si verò à *Sinopica* terra derivare hanc vocem non velimus, commodius

dius eam à *κινάβρα*, cinabra, deducere possumus; quæ vox cibum caninum, item graveolentiam, hoc est, fœtorem caprarum sive hircorum, odorem sub alis virosum, & in genere *δυσωδίαν*, malum odorem denotat. Legenda autem potius videtur *κιναύρα*. Sic enim scripsit *Suidas:* Κιναύρα quasi *κυνοβόρα*, ἡ τῶν κυνῶν βρῶσις, καὶ δυσωδία τῶν μαχάλων τῶν αἰγῶν. Unde *κινάβρας* apud *Lucianum* dicitur hircissans, & Κιναβράω significat gravem odorem reddo, fœteo; quâ voce *Aristophanes in Pluto* utitur: Προβατίων αἰγῶν τὲ κιναβρώντων μέλη; hinc etiam est *κινάβρευμα* purgamentum fœtens & *κιναβρῶν*, olidus.

A *Græco* ergò hoc vocabulo, quod gravem malumque odorem innuit, Cinnabaris originem esse deducendam opinamur. Cinnabaris enim mineralis, seu minium naturale, cum ex metallorum, & præcipuè argenti vivi fodinis eruitur, gravem fereque strangulantem halitum eructat; itaque fossores vesicis sibi faciem obvelant, ut per illas spectent, nec respirando noxium vaporem attrahant. Et *P. A. Matthiolus comm. in Dioscorid. lib. 5. cap. 69.* αὐτόπτης testátur, artifices Cinnabarin decoquentes fictilib. quibusdam ad id confiatis, & converso simul ore argillâ circumlitis, ut indè argentum vivum eliciant, nares & os linteis sibi obstruere, ne noxio vapori liber pateat aditus, quod non modò hujusce halitus noxâ anhelosi fiant, qui hauserint, sed etiam plerumque dentes universos amittant, putrescentibus circumquaque gingivis, ut quidam apertissimè testati sunt, qui spreto narium & oris velamento, ut cæteris viderentur fortiores, edentuli prorsus facti sunt, continuo tremore concussi. Hinc etiam rari admodum sunt Cinnabaris mineralis, seu Minii naturalis fossores; tametsi robustis-

bustissimi fuerint temperamenti, qui eo in opere ad quartum usque annum incolumes perdurare valeant: quippè ob noxium metalli halitum, partium omnium tremore concutiuntur. Quare *Georgius Agricola*, maximus fossilium indagator *dialog. de Re Metallic. pag.* 450. In Minii coctura modum illigandi faciem laxis vesicis probat, ne in respirando exitialis pulvis trahatur. In specie autem hanc ligandi rationem salutarem iis dicit, qui in aridis fodinis laborant, cùm hi pulvere hausto difficultate anhelitûs & tabe perire queant, maximè in *Carpati* metallis, quæ etiam multa fodiuntur, ut ibi mulier inventa sit, quæ septem nupserit viris, quibus omnibus ista tabe confectis mors immatura acciderit.

Cinnabarin autem hanc nativam dicimus, quia in argenti vivi fodinis nascitur, nulloque artis beneficio comparatur: Mineralem verò, cum reverâ minerale quippiam sit, nec ullum habeat consortium cum Cinnabari vegetabili *Dioscoridis*, quæ sanguis draconis dici queat. *Germanis* dicitur natürlicher Zinnober / Berg-Zinnober.

Minium undè derivetur Naturæ Consulti dubii adhuc quoque sunt. Alii à minuendo dicunt. Minium, ut vetus Vocabularium habet, genus coloris rubei est, & dicitur à minuo, eo quòd minuatur, antequam color indè efficiatur. Alii, quorum maximus est *Isidorus lib.* 19. *cap.* 17. Minium vocant à *Minio Hispaniæ* fluvio; sed non est major ratio, quòd hoc pigmenti genus, inquit *Ulysses Aldrovandus in Musæo Metallico lib.* 4. *cap.* 20. ab hoc flumine denominetur, ut potius flumen à *Minio* nomen sortiatur. Cæteris enim regionibus *Hispania* Minii plus abundat; undè & nomen proprio flumi-

flumini dedit. Est a. hic amnis in *Hispania Tarraconensi*, *Galletiam* à *Portugallia* dividens. *Minio* alioquin fluvius est *Hetruriæ* per agrum *Cornuetanum* in mare decurrens. Hujus *Virgilius lib.* 10. *Æneid.* sic meminit:

Qui Cerete domo, qui sunt Minionis in arvis.

A minando hanc vocis originem deducunt alii, cum veteres legum epigraphas Minio notarent, non solùm ut majestatem legibus afferrent, sed etiam ut terrorem legum violatoribus incuterent; miniaceus enim color sanguineum & cruentum quid minatur. A mina, id est, fodina, undè eruitur, alii hanc vocem derivant. Satius esse autumat *Ulysses Aldrovandus l. c.* si dicamus, Minium nuncupatum, quia *Græcè* vocatur ἄμμιον ab ἄμμος, arena, cùm Autores ut plurimum id arenam rubram esse constituant. Apud *Græcos* nominatur etiam μίλτος; quæ vox autem æquivoca est, quoniam apud *Dioscoridem* hoc nomine rubrica denotatur: & μίλτον, rubricam, *Hippocrates lib. de ulcerib.* ad περίκαυστα adhibet, quæ, quòd exsiccet, detergeat, adstringat, leniat, & emplasticâ vi sit prædita, valentissimum est ad igne ambusta remedium, eademque optimè vulnerariis emplastris admiscetur. Sunt qui ex eo dicere audent, quòd minuat humores hinque nomen obtineat. Deinde apud alios *Græcos* hoc nomine segetum rubigo designatur; ut ideò vox hæc admodum æquivoca sit variasque significationes habeat, sicuti in sequentibus videbimus. Min vocat *Ausonius* monosyllaba dictione, quemadmodum pro gaudium legitur gau. Minium hoc *Encellio* dicitur metallicum; nos diximus naturale & nativum, cùm naturaliter in argenti vivi fodinis

nascatur, atque ex iis fodiatur. Natürliche Mennig Germani hoc appellant.

CAPUT III.

Cinnabaris Mineralis, seu Minii Naturalis Homonymiam perlustrat.

NUllum ferè vocabulum in rerum natura reperitur, quod magis æquivocationibus obnoxium, quàm Cinnabaris & Minium. Maximum quippè dubium est apud Physicos & Medicos, quid sit Cinnabaris, quid sit Minium, quia nomina hæc Cinnabaris & Minium multis & diversis ab Autoribus tribuuntur rebus. In difficilem igitur labyrinthum lectores induxit *Dioscorides lib. 5. cap. 69.* quando scriptum reliquit, illos hallucinari, qui Cinnabarin rem eandem cum Minio esse voluerunt, cum postea, quid sit sua Cinnabaris, *Dioscorides* non manifestaverit. Tradidit tamen, agens in *capite sequenti* de argento vivo, Minium esse Cinnabarin, sed ita abusivè appellari. Verba *Dioscoridis* sunt hæc: *Argentum vivum fit ex minio, quod abusivè Cinnabaris dicitur.* Deindè addit: *patinis enim fictilibus imposita, ferr eâ conchâ Cinnabarin continente, & calice cooperta, argilla superlita, carbonibus succendunt; siquidem detersa fuligo, quæ calici insidet, refrigerata in argentum vivum coit. Quin etiam invenitur in argenti fodinarum tectis stillatim concretum.* Vox insuper Cinnabaris mox Cinnabari metallico, minerali & nativo, à *Germanis* Berg-Zinnober dicto, quod resolutum est argentum vivum & sulphur, mox factitio seu ex argento

gento vivo & ſulphure arte Chymicâ parato, tribuitur: mox etiam Cinnabari vegetabili, quæ ſanguis draconis appellatur. Sic etiam *Vitruvius Architectur. lib.* 7. *cap.* 7. dictione æquivocâ Cinnabarin appellat anthracem; ob ſimilitudinem enim coloris multæ res cognominantur anthraces, veluti carbunculus, gemma apud *Plinium*, genus terræ bituminoſæ apud *Belgas* & *Saxones*, nec non carbo quidam, cujus *Ulyſſes Aldrovandus in cap. de ſuccino* meminit. Per Cinnabārin *Theophraſtus lib. de lapidib.* intelligit etiam Minium arenarium, quod, cùm ex illis naturalibus arenis fieret, etiam ἄμμιον dictum eſt. Et Cinnabaris nomine erythrodanum, cujus *Dioſcorides lib.* 4. *cap.* 143. meminit, appellari apud *Ulyſſ. Aldrovandum Muſ. Metallic. lib.* 4. *cap.* 20. obſervamus, fortaſſis, quia radicibus erythrodani, rubiæ nimirum tinctorum olim, veluti hodie adhuc fit, ſanguis draconis adulterabatur.

Minium præterea vocabulum æquivocum audit: interdum minio nativo, quod vera Cinnabaris mineralis eſt, adſcribitur: interdum Minio, ex plumbo aut Ceruſſa artis beneficio parato: interdum ſandyci: interdum ob coloris ſimilitudinem Cinnabari factitio: interdum color quidam, Minio accedens ipſum Minium dicitur: interdum terra rubra, quâ colore rubro aliquid tingitur, Minium nominatur: interdum Minii vox flumen indicat; per *Hiſpaniam* ſiquidem decurrit flumen hujus nominis, ut autor eſt *Boccatius in lib. de fluviis.* Hujus etiam ſic meminit *Propertius* lib. 2. Eleg. 3.

Ut Mœotica nix Minio ſi certet Hibero.

Hic amnis propter inſignem Minii copiam nomen hoc promeruiſſe perhibetur. Et hînc æque latius patet Minium ac Cinnabaris. Siquidem Mi-

nium, apud *Græcos* μίλτος dictum, rubricam denotat, ſeu terram quandam rubentem, Minio proximam, quæ tamen non ſemper valdè rubra eſt, ſed nonnunquam in rubro candida, nonnunquam inter eas media. Μίλτος etiam Minii glebam deſignat, item rubricam *Lemniam*, aut Minium *Lemnium*, terram *Lemniam*, ſphragida *Lemniam*, ſigillum *Lemnium*, terram & lutum ſigillatum *Avicenna*, quòd *Dianæ* Sacerdotis ſigillo obſignaretur ad evitandum fucum. Μίλτος λημνία, μίλτος λημνὶς, λημνία γῆ *Nicandro in Theriac.* & aliis dicitur. Terram ſigillatam quidam appellant, quæ nunc *Turcici* ſigilli fide munita oſtenditur, & pallidior dilutiorque exiſtimatur, non ob altiores, quàm olim, fodinas, aut terræ dilutiorem colorem, ut autumant quidam, ſed quòd is ritus deſierit obſervari, quem *Galenus* indicat, quo mactatâ *Dianæ* caprâ votivâ ſanguis ejus terræ obſignandæ permiſceri ſolebat; cujus miſcellæ modum ut oculatâ fide obſervaret *Galenus*, non dubitavit *Lemnum* per mare petere. Celeberrima eſt μίλτος Σινωπικὴ, Σίνωπις, quam rubricam *Sinopicam Vitruvius l. c.* & Minium *Sinopicum*, cujus mentionem facit *Dioſcorides lib. 5. cap. 71.* *Marcellus Empiricus* appellat. Μίλτον Σινωπίδα adhibet *Crito* apud *Galenum lib. 5.* κατὰ τόπ. in ficoſis menti papularum eruptionibus. Sic porrò μίλτον λημνίαν, quæ & σφραγὶς λημνία, & λημνία γῆ dicitur, *Cornel. Celſum lib. 4. cap. 15.* intelligere per Minii glebam in torminum, id eſt, dyſenteriæ curatione, & pro rubrica ſeu terra *Lemnia* aut *Armenia* ſumi non pauci exiſtimant. Terram enim *Lemniam Dioſcorides lib. 5. cap. 83.* dyſenteriæ utilem cenſet. Et valere admodum adverſus ulcera inteſtinorum Minii glebam ex *Cornelio Celſo*, Hippocrate illo *Romano*, notum eſt. Ejus-

Ejuſmodi autem homonymiæ & æquivocatio-nes oriuntur ex diverſis veterum & recentiorum Autorum ſententiis, quas de Cinnabari minerali & Minio naturali foverunt, ubi non ſolùm de vocibus Cinnabari & Minio, ſed & de eorum ſpeciebus in diverſas iverunt opiniones; quæ tamen partim veræ, partim quoque falſæ exiſtunt. Veras accipimus, quatenus veri Cinnabaris mineralis & Minii naturalis naturam exprimunt; falſas autem putamus, quatenus Autorum errores circa hoc egregium minerale videre poſſumus.

Hallucinari eos ait *Dioſcorides lib. 5. cap. 69. qui Cinnabarin Minio eandem eſſe exiſtimant. Minium enim in Hiſpania ex lapide quodam, argenteæ arenæ permiſto, temperari ſolet, alioqui non dignoſcitur. Fornacibus autem in florentiſſimum flagrantiſſimumque colorem permutatur. In metallis verò ſtrangulantem halitum eructat. Itaque facies incolæ veſicis obvelant, ut per illas ſpectent, nec reſpirando noxium aërem attrahant. Eo pictores ad ſumptuoſa parietum ornamenta utuntur. Cinnabaris verò ex Aphrica defertur, & magno conſtat. Hactenus invenitur, ut vix verſicoloribus pictorum lineis ſatisfaciat: intento colore, nec diluto præditum, quare quidam ſanguinem eſſe draconis exiſtimaverunt. Vim habet Cinnabaris hæmatitæ lapillo eandem. Convenit ad oculorum medicamenta, verùm efficacius; magis enim adſtringit, & ſanguinem cohibet. Ambuſtis igni, & papularum eruptionibus, cerato excepta, medetur.*

Cinnabaris duo genera eſſe tradit *Theophraſtus in libro de Lapidib.* Γίνεται δὲ καὶ κιννάβαρι τὸ μὲν αὐτοφυές, τὸ δὲ κατ' ἐργασίαν. αὐτοφυὲς μὲν, τὸ περὶ ἰβηρείαν σκληρὸν σφόδρα, καὶ λιθῶδες, καὶ τὸ ἐν κόλχοις. τοῦτο δέ

φάσιν εἶναι κρημνῶν· ὃν καταβάλλουσι τοξεύοντες. τὸ δὲ κατ' ἐργασίαν, ὑπὲρ ἐφέσου μικρὸν, ἐξ ἑνὸς τόπου. Μόνον δὲ ἐστὶν ἄμμος, ἣν συλλέγουσι λαμπυρίζουσαν, καθάπερ ὁ κόκκος. ταύτην δὲ τρίψαντες ὅλως ἐν ἀγγείοις λιθίνοις λειοτάτην πλύνουσιν ἐν χαλκοῖς μικρὸν ἐν καδάλοις. τὸ δὲ ὑφιστάμενον πάλιν λαβόντες πλύνουσι καὶ τρίβουσιν. ἐν ᾧ πέρ ἐστι τὸ τῆς τέχνης. οἱ μὲν γὰρ ἐκ τοῦ ἴσου πολὺ περιποιοῦσιν, οἱ δὲ ὀλίγον ἢ οὐθέν· ἀλλὰ πλύσματι ἐπάνω χρῶνται, ἓν πρὸς ἓν ἀλείφοντες. γίνεται δὲ τὸ μὲν ὑστάμενον κάτω, κιννάβαρι. τὸ δὲ ἐπάνω, καὶ πλεῖον, πλύσμα, καταδεῖξαι δὲ φασὶ καὶ εὑρεῖν τὴν ἐργασίαν, Καλλίαν τινὰ Ἀθηναῖον ἐκ τῶν ἀργυρείων. ὃς οἰόμενος ἔχειν τὴν ἄμμον χρυσίον, διὰ τὸ λαμπυρίζειν, ἐπραγματεύετο καὶ συνέλεγεν. ἐπεὶ δὲ ᾔσθετο ὅτι οὐκ ἔχει, τὸ δὲ τῆς ἄμμου κάλλος ἐθαύμαζε διὰ τὴν χρόαν, οὕτως ἐπὶ τὴν ἐργασίαν ἦλθε ταύτην. οὐ παλαιὸν δ' ἐστίν. ἀλλὰ περὶ ἔτη μάλιστ' ἐνενήκοντα εἰς ἄρχοντα Πραξίβουλον Ἀθήνησι.

Est & Minium aliud nativum, aliud factitium. Nativum quidem in Iberia durum valdè & lapidosum, uti & in Colchis; hoc autem dicunt esse in rupibus seu præcipitiis, quod sagittarii dejiciunt. Factitium autem, supra Ephesum paucum ex uno loco. Est tantum arena, quam colligunt splendentem instar cocci. Hanc terentes omninò in vasis lapideis lævissimam lavant in æneis, rarò in ligneis vasis; quod autem subsidet, rursus accipientes lavant & terunt; in quo ars versatur. Quidam enim ex pari materia multum conficiunt; quidam autem pauxillum, aut nullum. Sed lotura â superiori utuntur singulatim illinentes. Fit autem subsidens Cinnabari; quod autem supernatat, & plus est, lotura. Ostendisse & invenisse facturam ajunt Calliam quendam Atheniensem ex argenti fodinis; qui opinatus arenam habere, aurum, quia splendebat, comparavit & collegit.

Post-

Postquam autem sensit non habere, & arenæ pulchritudinem admiraretur, propter colorem, ad artificium hoc transiit. Non est autem antiquum inventum, sed circiter annos nonaginta Praxibulo jam Athenis magistratum gerente. Quibus nihil aliud per κιννάβαρι ostendit *Theophrastus*, quàm Minii, quod & μίλτος *Græcè* dicitur, duas esse species, nativam videlicet & factitiam, quæ à *Plinio lib.33. cap.7. hist. nat.* egregiè explicantur.

Hoc Minium minerale, sive Κιννάβαρι intelligit *Pausanias in Arcad.* & *Galenus lib.1. de comp. medicam. κατὰ τόπ. cap.28.* & *simpl. lib.9.* ubi inquit: Κιννάβαρι δριμείας δυνάμεως ἐστίν. ἔχει δὲ τι καὶ στύψεως. Et paulò post cyanum dicit δριμείας εἶναι δυνάμεως, καθαιρετικῆς τε καὶ διαφορητικῆς πλέονος, ἢ κατὰ τὸ κιννάβαρι.

Et sic ex *G. Budæi I. Tusani, & R. Constantini* mente *in Lexico Græco-Latino pag.* 1005. 1006. *& seq.* Κιννάβαρι duplex erit: Cinnabari *Theophrasti* vel *Galeni*, & Cinnabari *Dioscoridis*.

Cinnabari primum lapidosum erit, metallicum, naturale, verumque Minium *Plinii*, cujus vomica argentum vivum, cujus & gleba anthrax dicitur *Vitruvio*; hoc, ut diximus, & μίλτον vocant *Græci*, ut ἄμμιον, ejus speciem artificialem, ex arenis cocci colorem habentibus, propter quem, Hesichio teste, κόκκινον etiam χρῶμα & κιννάβαρι à pictoribus appellatur. Ἀμμίου tamen nomine *Dioscorides* glebosi, lapidosi fossilisque Minii primam speciem ita videtur significare, inquiens *lib. 5. cap. 70.* ὑδράργυρος δὲ σκευάζεται ἀπὸ τοῦ ἀμμίου λεγομένου, καταχρηστικῶς δὲ τούτου κινναβάρεως λεγομένου.

Erit & alterum Minii genus in omnibus ferè argentariis itemque plumbariis metallis, quod fit

exusto lapide venis permixto, non ex illo, cujus vomicam argentum vivum vocat *Plinius*, sed ex aliis simul repertis: cui Autori etiam secundarium est Minium, quod fit ex sterili plumbo in fornace rubescenti exusto, & in farinam tuso. Hæc omnia genera intus assumpta lethalia judicant, ut & officinarum Cinnabrium, quod ex argento vivo & sulphure per sublimationem paratur.

Constabit igitur, quid sit τὸ κιννάβαρι primæ significationis, id est, Minium, vulgò vermillon dictum, quo ceras tinctas miniatas cerulas vocavit *Cicero ad Atticum*: ceras ex milto *Vitruvius* Architectur. lib. 7. cap. 9. à quo etiam miniculatores dicti sunt ab *Ulpiano in pandect.* qui majusculas uncialesque illas literas minio pinxerunt.

Alterum porrò κιννάβαρι *Dioscoridis* erit Cinnabaris *Indica Plinii*, αἷμα δράκοντος *Nic. Myrepsi*, sanguisque draconis officinarum verus. Cinnabaris hæc (ἢ τὸ κιννάβαρι δευτέρας σημασίας) antidotis medicamentisque utilissima: & quæ nihil aliud, quàm rubra, sanguinis floridi modo, arboris *Indicæ* lachryma; de qua fusius adhuc disseremus. Detrahenda autem hîc videtur fides Aëtio, qui *tetrab. lib. 4. serm.* 3. *cap.* 12. αἷμα δράκοντος in *India* ex herba, dracunculo appellata, colligi dixit.

Diversorum generum Minium est *Plinio hist. nat.* lib. 33. cap. 7. ubi cuncta ejus genera his verbis refert: *Invenitur in argentariis metallis minium quoque, & nunc inter pigmenta magnæ authoritatis. Theophrastus* 90. *annis ante Praxibulum Atheniensium magistratum, quod tempus exit in urbis nostræ* 249. *annum, tradit inventum Minium à* Callia *Atheniense initio sperante aurum posse excoqui arena rubente in metallis argenti: hanc fuisse originem ejus.*

ejus. Reperiri autem jam tùm in Hiſpaniis, ſed durum & arenoſum. Item apud Colchos in rupe quadam inacceſſa, ex qua jaculantes decuterent: id eſſe adulterum. Optimum verò ſupra Epheſum Cilbianis agris. Arenam cocci colorem habere, hanc teri, deîn lavari farinam, & quod ſubſidat, iterum lavari. Differentiam artis eſſe, quòd alii Minium faciunt prima lòtura: apud alios id eſſe dilutius: ſequentis autem loturæ optimum. Iuba Minium naſci in Carmania tradit. Hermogenes & in Æthiopia. Sed neutro ex loco invehitur ad nos, nec ferè aliunde, quàm ex Hiſpania. Sed adulteratur multis modis, unde præda ſocietati. Namque eſt alterum genus in omnibus ferè argentariis itemque plumbariis metallis, quod ſit exuſto lapide venis permixto, non ex illo, cujus vomicam argentum vivum appellavimus, ſed ex multis ſimul repertis. Steriles etiam plumbi deprehenduntur ſuo colore, nec niſi in fornacibus rubeſcentes exuſtique tunduntur in farinam. Et hoc eſt ſecundarium Minium, per quam paucis notum, multùm infra naturales illas arenas. Sincero cocci nitor eſſe debet. Probatur auri modo. Auro candente fucatum nigreſcit, ſincerum colorem retinet. Invenio & calce adulterari. Ac ſimili ratione ferri candentis laminâ, ſi non ſit aurum, deprehendi illicò.

Mentem ſuam de Minio ſic exprimit *Vitruvius Architectur. lib. 7. cap. 9. Ingrediar Minii rationes explicare. Id autem agris Epheſiorum Cilbianis primùm memoratur eſſe inventum, cujus & res & ratio ſatis magnas habet admirationes. Foditur enim gleba, quæ anthrax dicitur, antequam tractationibus ad Minium perveniat, vena uti ferro, magis ſubruffo colore, habens circa ſe rubrum pulverem. Cùm id foditur, ex plagis ferramentorum crebras emittit*

lachrymas argenti vivi, quæ à fossoribus statim colliguntur. In Cinnabaris & Minii natura explicanda diversus etiam videtur *Ambrosius Calepinus in Dictionar. Latin. Ling.* hunc in modum differens: *Quem plerique Cinnabarin existimant, sanguis est draconis, elephantorum morientium pondere elisi, dum simul pugnant, utriusque animalis cruore permisto, nec est alius color, qui magis propriè sanguinem reddat humanum. Antidotis præterea medicamentisque miscetur. Qui hodiè habetur, plurimus factitius est; fit enim ex sulphure & argento vivo, nec colore, nec virtute convenit cum eo, qui à natura productus est; præsentaneum enim venenum est; sed qui sit verus Cinnabaris, non constat; lis est sub judice: Item nonnulli per errorem Minium idem esse putant cum Cinnabari, cùm propriè Cinnabaris sit sanies draconis elephantorum morientium pondere elisi, utriusque animalis sanguine permisto.*

Cinnabarin *Stephanus Thesaur. Latin. Ling. p.* 303.*b.* modò colorem quendam minio accedentem modò μίλτον, sive Minium, modò Cinnabarin appellat, ob errorem natum *Indico* Cinnabaris nomine, sanguinem draconis, elephantorum morientium pondere elisi, permisto utriusque animalis sanguine. Neque alium esse colorem credit, qui in picturis propriè sanguinem reddat. Cùm *Dioscoride* Minium etiam inducit planè diversum à Cinnabari, cùm Minium in *Hispania* ex lapide quodam, argentariæ arenæ misto, conficiatur: in fornace excoctum, floridum & fulgentissimum colorem contrahat: Cinnabaris contrà ex *Libya* afferatur, ut vox variandis in pictura lineis pictoribus sufficiat: profundi coloris sit: eamque ob causam crediderint multi draconis sanguinem Cinnabarim esse.

De-

Deinde quoque Minium terram vocat rubram, quâ aliquid tingitur, quia ex mente *Plinii lib. 23. cap. 7. hist. nat.* syncero Minio cocci nitor esse debet. Minium quoque in voluminum scriptura usurpatur, clarioresque literas, vel in auro, vel in marmore, vel in sepulchris etiam facit.

Fossilium accuratissimus perscrutator, *Georgius Agricola dialog. de Re metallic. pag.* 450. de Cinnabari agens, mox illam Minium, mox anthracem, mox ἄμμιον, mox etiam sanguinem draconis nominat.

Cinnabarin vocem esse æquivocam, significareque tres species medicamentorum: & ita tres esse species Cinnabaris, tradit *Grabriel Fallopius tr. de Metall. seu Fossil. cap.* 36. Unam facit factitiam: alteram naturalem: tertiam vocat sanguinem draconis, vel Cinnabarin & Minium etiam. Factitiam apud antiquos triplicem facit. Primam confecerunt ex arena quadam. Ex *Cilbianis* enim agris prope *Ephesum* collegerunt arenam quandam, subrubram & splendescentem, quam *Theophrasto* & *Plinio* testibus, emolliverunt, abluerunt, & confecerunt Cinnabarin. Hujus autem Cinnabaris autor fuit, ex mente *Theophrasti Callias Atheniensis*, qui arenam illam coquens, se aurum ex ea posse conficere cogitans, Minium, pigmenti genus satis præstans, quod non putârat, fecit. Et hæc Cinnabaris species antiquorum Minium artificiale fuit.

Alteram speciem fecerunt ex plumbo usto & abluto, & Minium secundarium nominârunt, cùm secundum præstantiæ locum obtineat; non enim fuit ita bonum laudabileque, ut prius ex arena illa factum.

Tertiam speciem confecerunt ex lapide illo, qui dici-

dicitur anthrax, ſive carbunculus; qui lapis coloris ſubrubri, in ſpeciem ferri inclinantis, exiſtit. Si enim lapidem hunc in ſuperficie ſua conſpiciamus, videbitur nobis lapis; & ex lapide hoc, *Vitruvio* teſte, argentum vivum extractum eſt; quo extracto, vi ignis, ex eo iterum Cinnabarin fecerunt. Deindè, duplex etiam genus Cinnabaris ſeu Minii artificialis inſtituit. Unum dicitur Cinnaprium, vel Cinnabrium, atque à Chymicis paratur, & in omnibus officinis proſtat. Ipſi enim ſumunt argentum vivum & ſulphur, ponuntque ad ignem: quo fit, ut ſtatim argentum vivum extinguatur fiatque rubrum, & ad ſummum vaſis aſcendit, inibique colligitur, & fit Cinnabrium admodum præſtans, quo tam Medici, quàm pictores frequenter utuntur. Medici ex eo & aliis in morbo *Gallico* ſuffumigium ad copioſum ſputum & alvi fluxum concitandum faciunt; vel etiam in iis, quibus pili concidunt, infelici ſæpè ſucceſſu hoc uſurpant. Alterum Minium in officinis ex ceruſſa exuſta paratur, & nihil aliud, quàm vera ſandyx antiquorum indicatur. Et hæc Cinnabaris arte factâ, non nomine Cinnabaris, ſed Minii à *Plinio* & *Vitruvio* fuit appellata.

Fuit etiam apud antiquos & Cinnabaris foſſilis, ammion *Theophraſto* dicta, nihilque aliud extitit, quàm metallicum quid, in argentariis fodinis repertum: fuit nimirum *Theophraſto* lapis quidam durus, ammion dictus, id eſt, Minium. Quatuor autem Minii naturalis genera apud *Theophraſtum* & *Ariſtotelem Fallopius* invenit, quæ tamen ad tria tantùm reduxit. Unum genus ex *Theophraſto* eſt effoſſum: alterum decuſſum eſt ſagittis ex rupibus quibuſdam altiſſimis & inacceſſis: tertium ex *Ariſtotele lib. 4. meteorolog.* ſub forma pulveris ſeu cineris colo-

colorati exiſtit: quartum eſt concretum quod ipſi Ciñabaris dicitur. Cùm verò hoc concretum *Theophraſtus* ſub altero illorum genere comprehenderit tria tantùm genera naturalis Ciñabaris *Fallopius* cõſtituit. Horum primum illud lapideum durum eſt, quod in fodinis argentariis effoditur, quo officinæ noſtræ non carent, & Cinnabaris mineralis dicitur. Alterum ex rupibus illis inacceſſis decutitur, quod nobis ignotum eſt. Tertium eſt cinis coloratus, à *Theophraſto* deſcriptus, qui in iiſdem fodinis reperitur, cuique *Galenus* vim erodentem adſcribit. Et hoc eſt Cinnabrium, de quo omnes *Græci*, excepto ſolo *Dioſcoride*, ſcripſerunt, quodque cùm erodat, Cinnabarin metallicam nominarunt. Ad Cinnabarin *Dioſcoridis* accedit etiam *Fallopius*, prius autem videt, quid ipſe de Cinnabari, id eſt, Minio aliorum ſentiat. Minium hoc, ut ſcribit *Dioſcorides* ex *Hiſpania* defertur, diciturque teſte *Juſtino*, Minium à *Minio Hiſpaniæ* fluvio: defertur etiam, ſicut ait *Vitruvius*, ex *Colcho*, & *Dioſcoride* aſſerente, in fodinis argentariis reperitur; de illo enim Cinnabari diſſerit ibi *Dioſcorides*, qui in fodinis argentariis effodiebatur.

Cinnabarin (quæ *Arabibus* Uzifur, Sedech, Zinzifur, *Barbaris* Cinaprium; aliquando à colore vermium cocci vermilio dicitur, triplicem cum Autoribus antiquioribus proponit *Andr. Libavius Syntagm. Arcan. Chymic. lib. 7. c. 25.* Unam exhibet animalem, quam *Plinius* appellat *indicam*, factam ex miſtura draconina ſanguinis & elephanti unà cõmorientis, dum caſu draconem, hoſtẽ ſuum, qui ſanguinem ex eo exùxit, eliderct, cujus meminit etiam *Dioſcorides l. c.* quoſdam nimirum exiſtimare ſanguinem draconis beſtiæ eſſe. Sed hoc ut ex fabula natum, ita quoque fictitiam Cinnabarin ponit quam-

quamquam negari non debeat, ejusmodi colorem etiam ex animalium sanguine peti posse, simulque etiam constet taurorum cruore sic tingi vitra. Alteram describit, ut vegetabilem, intelligitque lachrymam arboris, cui nomen draco; undè fabulæ prioris argumentum. Hæc vera *Dioscoridis* est Cinnabaris, olim ex Africa allata, vim habens hæmatitæ ad oculorum vitia. De hac etiam loquutus est *Plinius*, cum scripsit *l. c. Non est alius color, qui in picturis propriè sanguinem reddat, quæque antidotis, & medicamentis utilissima est.* Tertiam mineralem appellat, quamquam falso Cinnabaris nomine, ut *Plinius* cum *Dioscoride* asserit: quandoquidem Cinnabarin univocam statuit medicamentum antidotis utile: mineralem autem colorem, qui Minium vocatur, & olim in *Hispania* erat quiddam fossile, vena nimirum hydrargyri, seu lapis argenti vivi ferax, vel etiam arena rubra, quæ ignibus in flagrantissimum ruborem convertitur, propter spiritus ☿riales in venenorum censu habet. Verùm cùm alia ratio nominum sit apud antiquos, alia apud posteros, translatam à Cinnabari genuina appellationem non in arboris lachryma quærit, sed in minerali, quam duplicem facit: nativam scilicet, Minium nimirum nativum, quod & anthrax hydrargyri ferax, vel arena rubra, aut lapis ruber dicitur, quamvis etiam cadmia argentaria, ex qua argentum vivum excoquitur, & marcasitæ nonnullæ, ignium vehementiâ, eundem colorem trahant: & deindè artificialem, quæ lapis ruber est, cum nitore splendente, per sublimationem maximè, ex sulphure & argento vivo confectus.

Triplicem Cinnabarin exhibet etiam *Ioh. Iac. VVeckerus Antidot. special. sect. 5. de Metall.* primam, ut

ut mineralem, ignorat: alteram, artificialem ſcilicet, ſeu ex ♀re & ☿rio paratam, nullâ ratione ſubſtitui debere pro Cinnabari *Græcorum*, vel *Dioſcoridis* jubet: tertiam, ſanguinem nimirum draconis eaſdem vires habere ſcribit cum hæmatite lapide, ac tàm raram fuiſſe ætate *Dioſcoridis*, ut verſicoloribus pictorum lineis vix ſatisfecerit; undè etiam eam incognitam adhuc fuiſſe credit.

Cùm dicat *Dioſcorides* hallucinari eos, qui Cinnabarin Minio eandem eſſe exiſtimant, cumque etiam ſcribat, argentum vivum ex Minio fieri, quod abuſivè Cinnabaris dicitur, omninò ſibi perſuaſum voluit *Petr. Andr. Matthiolus comm. in cap. 69. lib. 5. Dioſcorid.* nil aliud *Dioſcoridi* eſſe Minium, quam foſſile hoc, quod dixit Cinnabarin foſſitiam hodiè appellari, à quo argenti vivi plurimum elicitur in *Hydriæ* fodinis; quod Minium in metallis ſtrangulantem halitum eructat, ob idque foſſores veſicis ſibi faciem obvelant, ut per illas ſpectent, nec reſpirando noxium vaporem attrahant. Deindè verò antiquis Minium & foſſile & factitium extitiſſe palam ſcribit. Nec ſanè dubitat, quin in factitii genere acceperint ipſi Cinnabarin factitiam, quæ paſſim in ſeplaſiariorum officinis reperitur: quin etiam hodiè id Minium appellent Pharmacopolæ, tùm etiam pictores, quod veteres *Græci* ſandycem vocavêre, ex plumbo aut ceruſſa in fornacibus peruſtis paratum; de quo etiam videtur intellexiſſe *Plinius*.

Apud *Avicennam tom. 1. can. medic. lib. 2. tr. 2.* Zingiefr. Cinnabarin ſignificat. Huic ceruſſæ facultatem ineſſe quidam dicunt: alii vim habere eandem contendunt cum lapide hæmatite. Similius verò eſt calidam eſſe & ſiccam, atque utramque

que hanc qualitatem finem secundæ classis attingere. Qui secus censent, inscitiam suam produnt. Aliqui ajunt ipsam valentius adstringere, quàm attrahere: alii contrarium asserunt. Consolidat vulnera: ulcera carne implet: igni quoque ambustis & papularum eruptionibus medetur. Dentium corrosiones sistit. Verùm *Vopiscus Fortunatus Plempius in schol.* ex *Commentatore Arabe* scribit, medicamentum hoc aliud esse fossile, aliud artificiale, ex argento vivo & sulphure factum.

Cinnabarin verum veteres dixêre sanguinem draconis, & nomen hoc retentum ipsi adhuc ut proprium adscribit. *Guil. Iohnsonus Lexic. Chymic. lib.* 1. *pag.* 66. Et quamvis *Martinus Rulandus Lexic. Chymic. pag.* 149. 150. *& seq.* iis assentiatur, qui Cinnabarin succum seu lachrymam alicujus herbæ vel arboris potius esse volunt, quod ipse gustus & sapor indicat, Cinnabarin tamen metallicum non rejicit, quem Minium facit, nativum nimirum & factitium. Arborem esse in *Libya* & finitimis regionibus proceram opinatur, ex qua Cinnabaris prior, sanguis videlicet draconis manat: perindè atque in *Rhetis* è larice, apud *Germanos* à picea & abiete tempore veris manat & resina, quam Medicamentarii *Itali* pro terebinthi resina vendunt, cùm vera terebinthina Mastichi in *Chio* nascenti colore dicatur esse similis. Opinionem hanc suam etiam ex *Plateario* confirmat, qui sanguinem draconis esse arboris aut herbæ succum in *India* aut *Persia* sensit. Cinnabarin verò metallicum facit Minium, & quidem duplex, factitium vel nativum. Cum *Theophrasto* & aliis *Græcis* verum illud Minium non ἄμμιον, sed Cinnabarin ob coloris similitudinem nominat (non quòd verè sit Cinnabaris, id quod

quod *Dioscorides* & *Plinius libris citatis* etiam volunt.) Et cum Minium quoque nativum, ut sandaracha, rubeat, illorum differentiam hâc ratione constituit. Ex Minio sæpè elaborato, sive rudi, conficitur argentum vivum, quod è sandaracha minimè fieri potest: imò dum lavatur Minii vena, ut postea teratur, pars ipsius in argentum vivum mutatur, idque rursùm siccatum, & contritum redit ad suum colorem. Et sicuti dicitur μίλτος seu Minium nativum & factitium: ità etiam à gente vel usu dicitur μίλτος Σινωπικὴ, rubrica *Sinopica*, μίλτος τεκτονικὴ, rubrica fabrilis: sic λημνία γῆ, vel λημνία μίλτος. Factitium, quod conficitur ex argento vivo & sulphure à Chymistis, cum *Germanis* dicit factitium Cinnabari vulgare, **gemein gemachtes Zinnober**. Habet præterea Minium aliud adulterinum etiam, quàm illud, quod Cinnabarin vocavit, quod hodiè solùm Minii nomen retinet, & ex plumbo conficitur. Ubi & tertium genus adulterinum non omittit, quod adest in argentariis & plumbariis metallis, exusto lapide quodam in venis reperto, de quo *Plinius l.c.* scripsit. Quomodo verò conficiatur Minium, *Plinius* ex Theophrasto videtur transcripsisse.

Nominis Cinnabaris seu Minii æquivocatio maximè videtur elucere ex verbis *Joh. Fr. Pici Mirandulæ*, cùm *lib. 2. cap. 10. de Auro* tam egregiè de eo disserit: *Cinnabarin cum dicis, quis non retur te Bulcasis Arabis compositionem dicere, ex vivo argento sulphureque coagmentatam, à vera Cinnabari tàm distantem, quàm à leone simia: est in colore aliqua, nulla in re similitudo. Apud Aristotelem non temerè neque serio invenies nominatim citari aliud, quàm* σανδαράκην, καὶ ὤχραν, καὶ μίλτον, καὶ θύον, *& paulò*

C *post*

post Cinnabaris ducitur in medium, veluti lapis, non illa Cinnabaris, cujus componendæ ex vivo argento & sulphure Bulcasis Arabs inventor est habitus: nec illa quidem, quam perhibent ex pugna draconum & elephantum in India gigni, sed quæ de terræ cavernis eruebatur & importabatur ex Africa. Meâ ætate, bis, quod sciam, in Italia visa est, ratam etiam eam tempore Augusti fuisse, scriptum reliquerunt & *Dioscorides* & *Vitruvius, quorum alter pro medica facultate, alter pro ædium pictura de rebus metallicis disseruit. Sunt autem & dicuntur ea Metallica, quæ in fodinis metallorum inveniuntur; ex illis enim eruuntur, autore Theophrasto, & chryso colla, & cyanus, & ochra & Minium sandaracha, tametsi chrysocolla & cyanus arenosa sint, ochra & Minium terrea, sandaracha verò & arsenicum pulverea, nihilque inter se distare illa memoriæ prodidit.*

Nunc autem ut omnis ambiguitas tollatur, asserendum erit, Cinnabarin *Dioscoridis* longè ab aliorum *Græcorum* Cinnabari discrepare, cùm Cinnabaris *Dioscoridis* non sit lapis, neque quippiam fossile, quale à cæteris *Græcis* constituitur, sed est gummi arboreum. Nostrum Cinnabrium, inquit egregiè *Jul. Cæsar Scaliger exerc.* 172. ab illa Cinnabari *Dioscoridis*, cùm inter metalla numeretur, longè diversissimum est. Et *Petr. Andr. Matthiolus comm. in lib.* 5. *Dioscorid. cap.* 69. Cinnabrium minerale diversum quid à Cinnabari *Dioscoridis*, quæ gummi saltem arboreum est, in hisce verbis putat: *Cinnabaris qua officinæ & pictores utuntur, longè sanè differt à Dioscoridis Cinnabari; quandoquidem nostri usus Cinnabaris res factitia est ex sulphure & argento vivo diu arte quadam torrefactis. Est & aliud Cinnabaris genus fossile, & spontè per se nascens, verùm*

rum, non ut factitium, copiosum, nec adeò colore præcellens. Quæ autem à Dioscoride describitur, ex Africa defertur, eâdem facultate pollens, quâ hæmatites lapillus, quem non modò prætulit ipse foris appositum ad plures oculorum morbos, sed etiam intus assumptum, ad urinæ angustias, muliebrium locorum defluxiones, & cruentas expuitiones. Quibus utique affectibus vulgaris usus Cinnabaris nullo pacto competere potest, quòd propriâ vi erodat, exulceret, & hausta pernitiem adferat, & proinde sit oculis & internis visceribus inimica.

Hîc tantummodo notare oportet, hoc gummi arboreum *Dioscoridis* coloris esse sanguinei, pellucidum, leve, & fractu minimè contumax, & passim apud Pharmacopœos sanguinem draconis in lachryma vocari; neque officit asserere *Dioscoridem* eo loco de metallis pertractâsse; quandoquidem de indico ibi quoque sermonem habet, quod neq; metallicum, neque fossile est, sed spumam ex germinatione *indicarum* arundinum prodeuntem esse retulit *Dioscorides lib. 5. cap. 67.*

CAPUT IV.

Cinnabaris Mineralis, seu Minii Naturalis Synonymiam pertractat.

QUemadmodum variæ sunt veterum & recentiorum Physicorum & Medicorum sententiæ circa nomen Cinnabaris & Minii: sic pariter in synonymia sententiæ occurrunt diversæ. Quamvis autem *Dioscorides l. 5. c. 70.* irrideat illos, qui Cinnabarin cum Minio confundunt, nihilominus apud alios Autores priscos hæc duo constituuntur syno-

 nyma,

nyma, pigmenti genus indicantia rubrum, coloris ſanguinei, quod quandoque Minium, & interdum Cinnabaris appellatur. Licèt enim *Ariſtoteles, Theophraſtus, Galenus, Plinius*, nec non *Vitruvius* aliquo in loco per Cinnabarin Minium aliquod metallicum intelligant, diverſimodè tamen hoc fit, cùm multæ ſint Cinnabaris vel Minii ſpecies naturales & artificiales, ut jam dictum, & adhuc latius dicetur. Minium dicit *Encellius* Cinnabari metallicum, quod tamen multiplex Autores cenſent; *ἄμμιον Dioſcorides* appellavit; venam Minii & lapidem Minii *Plinius*; anthracem *Vitruvius* dixit; glebam Minii, coloris rubri coccinei *Aldrovandus*; ſpeciem veri coloris, quem vocamus *κόκκινον*, coccinum, voluit eſſe Heſichius; Ex ♀re ☿rio aſſociato per ſublimationem fieri uſifur *Geber tertia parte ſummæ perfectionis* prodidit. Hoc vocabulum autem eſt corruptum; dicitur ſiquidem *Arabicè* zenginfur; quod vocabulum apud *Latinos* Cinnabrium ſignificat, interprete *Andreâ Bellunenſi in nova expoſitione* operum *Avicennæ*. Verùm non hoc ſolum vocabulum, ſed varia quoque *Arabes* finxerunt nomina pro indicando Cinnabari, quæ omnia alphabetica ſerie ſic recenſet *Ulyſſes Aldrovandus Muſ. Metallic. l. 4. c. 20.* Alſegi, Alſeg, Alſenſi, Cinnabrium, Cinnabrios, Ciniabar, Genabar, Kinabar, Serengi, Serinca, Syringi, Uzifur, Zinnabrium, Zeniafarum, Zenzifer, Zenzifur, Zumabarum, Zignofar, Zenziefer, Zengefer, Zenziefar, Zangifar, Zanginfar. Amogabriel apud *Guil. Johnſonum Lexic. Chymic. lib. 1. pag. 23.* dicitur Cinobrium: Aremaros Cynabrium, & *pag.* 241. Uzifur vocatur Cinabaris: Uritur etiam & Uzifar.

Vocabulum Cinabaris & ejus ſynonyma, tàm

La-

Latina quàm *Arabica* & *Germanica* ſic eleganter in tabulam quaſi redegit *Fridericus Mullerus in Lexico Medico-Galeno-Chymico Pharmaceutico part. 1. pag. 74.*

Latina	Arabica		Germanica
Cinabari, Cinabrium metallicum,	Abitabiel,	Sanguis draconis à colore.	Zinober. Cynnober. Bergzinober.
	Affregi,	Timplium.	
	Cinabrium,	Uſifur,	
	Cinobrium,	Uxifur,	
	Minium nat.	Vermilio,	
	Sercog,	Zemzizer.	
	Sarcon,	Zengifur.	
Cinnabrium factitium, Cinabrium artificiale,	Cinabrium officin.		gemachter Zinober.
	Minium,		Mennig.
Cinabris *Indica*, Cinadar *Indica*	Sanguis draconis,		Trachenblut.

Dicitur *Hebræis* Minium ſchaſchar; *Italis* Minio, Cinapro ò Cinaprio; *Hiſpanis* Belmellon,

Anglis Cinnaber, or Red-Lead; *Belgis* Menie; *Germanis* Mennig/Minien; *Gallis* vermillon; *Latinis* vulgaribus etiam vermillio.

Ad hujus autem vocabuli *Gallici* & *Latini* vulgaris expoſitionem notandum eſt, quòd *Albertus Magnus in tr. de Alchymia* aſſerit, Cinnabarin vocari Uzifur, fieriq́ue ex ☿rio & ♀re nec non conteri ad modum vermillionis. Quare vox hæc vermillionis tanquàm nova & impropria legentibus magnam admirandi occaſionem dedit, cùm videatur tantummodo propria cocco baphico, nempe grano tinctorio, quod *Joh. Ruellius* agens *de natura ſtirpium* tradit in *Narbonenſi Galliarum* provincia frequens eſſe, & à ruſticis vermilionem appellari. Imò *Ruellius* ibi fusè de hoc vocabulo diſcurrens, colorem rubrum à *Gallis* vermelum dici aſſeruit: colorem quoque rubicundum, ſplendore roſeo radiantem vermilium *Itali* nuncupare conſuêverunt; ubi vermilium, vermelum, & vermilio parum inter ſe differre videntur. Quapropter *Ruellius* non immeritò putavit, quoſdam *Tranſmontanos* & præſertim *Gallos* hâc nominis ratione ductos, Cinabrium, ob ejus colorem nitentem, metaphoricè loquentes, vermilionem indigitaſſe; hînc poſteà *Braſſavolus* Cinabrium à *Gallis* vermilion nuncupari aſſeveravit.

μίλτον Græci dicunt Minium, ſeu Cinnabarin. Milton verò planè diverſum à Cinnabari eſſe verbis his expreſſis fatetur *Ioh. Fr. Picus Mirandula lib.* 2. *cap.* 10. *de Auro*, quamvis argumenta ejus exigui ſint valoris, facileque diſcuti queant. Cùm enim Cinabrium citat *Plinius*, Minium quoque voluit ipſum eſſe, *Græcis* Milton & Cinnabarin vocari. Quoniam verò hoc ipſum alibi deteſtatur, certè

certè aliud Milton, aliud Cinnabrium inveniri concludit, & apud *Aristotelem*, & apud *Theophrastum*, etiam apud *Galenum*, qui aliam etiam citat Milton *Lemniam*, hoc est, terram illam repugnantem venenis, cujus viginti millia glebulas dicit accepisse signatas à Sacerdote, dum insulæ appulisset *Lemno*; sed præter hæc certè diversam à Cinnabari Milton judicat esse apud alios egregios rerum naturæ scriptores, quorum aliqui non κιννάβαρι, sed κιννάβαρ nuncupant. Opinionem suam etiam ex *Theophrasto* probare conatur, qui duas Cinnabaris species indicat: alteram suâpte naturâ in *Hyberia* & *Colchis* natam: alteram arte confectam, non jam ex argento vivo & sulphure, sed ex arena coccinea, quam *Callias Athieniensis* ante annos nonaginta primus excogitasset, dum ex ea sperasset aurum elicere. Hac in re non simplicem modò, sed multiplicem *Plinii* errorem deprehendit, cùm hic Minium pro Cinnabari doceat à *Callia* confectum, autoritate *Theophrasti*, qui tamen apertissimè secernat alterum ab altero, seorsumque de Minio, & seorsum de Cinnabari verba faciat.

Præterea scribit, arenosam esse *Plinio* Cinnabarin, *Thophrasto* verò lapideam, atque, ut suâ loquitur linguâ, λιθώδην, quod *Aristoteles* ante prodiderat per hæc verba: Τὸ δὲ λίθος ἐκ τοιαύτης γιαὼς συστάσεως οἷον κιννάβαρι. Minium similiter, quod ἄμμιον appellavit *Dioscorides* nasci in *Epheso* ex *Plinio* docet, cujus rei nullum verbum in *Theophrasti* monumentis adesse firmiter sibi persuadet, cum *Theophrastus* scripserit, in *Epheso* fieri Cinnabarin arte, atque, ut ipse loquitur, κατ' ἐργασίαν: quemadmodum in *Colchis* & *Hyberia* nasci Cinnabarin sponte naturæ, seu αὐτοφυὲς. Cinnabaris igitur factitiæ lo-

cum cum Theophraſto deſignat in *Epheſo*, naturalis apud *Hyberos* & *Colchos*. Minio verò, non ei, quod nunc fit ex plumbo, & Minii naturalis colorem æmulatur, ſed cujus eſt è terræ profundiſſimæ latebris conquiſitio, diverſa tribuit loca, quamvis etiam cum *Theophraſto* duo fecerit Minii genera, ut alterum per ſe naſceretur, alterum conficeretur, ſicut illius verba hoc ipſum declarant: ἔστι δὲ ὥσπερ δὲ μίλτος μὲν αὐτόματος, ἡ δὲ τεχνική. Argumentum tandem immobile *Mirandula* putat, quòd *Theophraſtus* Cinnabarin duram & lapideam eſſe dicat, Milton verò, vel Minium & ochram terream naturam præ ſe ferre doceat.

Verum enim verò, ſi rem ipſam accuratius inſpiciamus, Milton ſeu Minium non eſſe diverſum quid à Cinnabari deprehendemus. μίλτος enim vel latè, vel ſtrictè ſumi poteſt. Latè ſi vox hæc accipiatur, ad alias etiam res, ſicuti quoque Minium, extendi poteſt; ſic enim dicitur μίλτος Σινωπική, rubrica *Sinopica*, μίλτος τεκτονική, rubrica fabrilis, Minium *Lemnium*, Minium *Sinopicum*. Strictè verò μίλτος ſi ſumatur, ſolùm Minium naturale & Cinnabarin mineralem denotat. Deindè diverſæ regiones non faciunt diverſitatem inter μίλτον & Cinnabarin. In *Armenia*, *Ungaria*, & in *Miſnia* μίλτος, Minium ſeu Cinnabaris produci poteſt, ubi inter ejuſmodi Minia & Cinnabria ferè nulla reperitur diverſitas. Licèt etiam *Plinius* apertiſſimè Minium ſeparet à Cinnabari, & ſeorſim de Minio, & ſeorſim etiam de Cinnabari verba faciat; attamen hæc Minii & Cinnabaris naturam non faciunt diverſam. Cinnabaris eſt vox æquivoca; & hinc de Cinnabari agit *Plinius*, quatenus pro ſanguine draconis ſumitur, & aliquid vegetabile eſt.

De

De Minio autem agit, quatenus minerale audit, & ita Cinnabrium, quatenus quoque minerale est, à Minio non distinguitur. Scribit quidem *Plinius* arenosam esse Cinnabarin, & *Theophrastus* eam lapideam inducit; verùm hæc nihil Minii & Cinnabaris naturæ detrahunt. Lapides enim sæpè multum de arenis participant; hînc quibusdam in locis lapides arenosi, Sandsteine reperiuntur, & nonnunquam etiam in fodinis argentariis circa Cinnabarin multum arenæ rubræ, ex qua etiam Cinnabaris arte parari potest, invenitur. Nihil quoque officit Cinnabarin duram & lapideam esse, cùm etiam dicere possimus, Minium esse durum & lapideum. Minium enim seu Cinnabaris propriè nihil aliud est, quàm lapis ex purpura ad ruborem declinans, insigniter gravis, & argenti vivi hospes. Minium hoc lapidis fissilis generi ita adhæret, ut innatum videri possit. Nec Minium solùm de terræ natura participat, sed Cinnabaris etiam, quæ aliàs terra mineralis lapidescens appellatur. Terra ergò ista nulla inter hæc duo differentiam parit, sed ambo potius unum & idem esse confirmat. Neque etiam Minium seu Cinnabaris vera terra est, sed propter analogiam tantùm ita dicitur.

CAPUT V.

Cinnabaris Mineralis, seu Minii Naturalis Paronymiam delineat.

VOces, quas in hoc Examine perscrutamur, sunt præcipuè Minium & Cinnabaris, à quibus etiam aliæ egregiæ voces derivantur denomi-

nationemque ſuam habent. Sic apud *Græcos* legitur μιλτωπάρῃος, & exponitur, habens genas Minio infectas, & μιλτώδης dicitur ruber minio: ſic etiam τόπος μιλτώδης appellatur locus, in quo nives obſervantur rubræ: Rubens minium legitur apud *Tibullum lib.2.Eleg.*1.11 & rubens minio apud *Virgilium Eclog.*10. μιλτώρυχος eſt minii effoſſor: hînc μιλτωρυχία, minii effoſſio. Miniare nihil aliud eſt, quàm minio pingere. Hînc apud *Plinium lib.* 33.*cap.*7.*hiſt.nat.* legitur: *Hac religione etiam nunc addi in unguenta cœnæ triumphalis, & à cenſoribus inprimis Jovem miniandum locari.* Pſittacem vocat viridem toto corpore, torque tantum miniato in cervice diſtinctam *Idem lib.*10. *cap.*42. *hiſtor.nat.* Miniarius pictor ille vocatur, qui in picturis minio utitur. Miniarius adjectivum etiam eſt, ut miniarium metallum. Sic *Plinius l. c. Celeberrimum ex Siſaponenſi regione in Bætica, miniario metallo vectigalibus populi Romani, nullius rei diligentiori cuſtodia.* Miniatum & miniatulum eſt, quod minio tinctum conſpicitur; ut miniatula cera, quàm rubram dicimus. Indè miniatulâ cerâ aliquid notare, eſt loca corrigenda annotare. Ita *Cicero Dolabell. in epiſtol.* ad Atticum *lib.*15. 328. 4. *His literis ſcriptis me ad* συντάξεις *dedi, quæ quidem vereor, ne miniatulâ cerâ tuâ pluribus locis notandæ ſint.* Vetus codex habet: ne miniatâ cerulâ. *Idem ad Atticum lib.*16. 336. 1. *Cerulas enim tuas miniatulas illas extimeſcebam.* Minicularius *Sim.Schardio in Lexico juridico* appellatur, qui minio quid inficit, *lib.* 3. *de indulgent. debitor. lib.* 11. *c.Th.* Minium verò, undè ematur, & quomodo paretur, *Vitruvius Architectur. lib.*7.*cap.*8. docet. Miniculator, corporiſta vulgò eſt, qui capitales literas ſcriptis libris

minio

minio aut rubricâ præponit. *Ulpianus de operis libert. l. ut jurisjurandi. Si fortè*, inquit, *librarius, vel miniculator, vel calculator, &c.* Miniaria locus est, undè eruitur minium. *Plinius l. c. Sisaponensibus autem miniariis suæ venæ arena sine argento excoquitur: auri modo probatur.* Miniacum, quod ex minio est. *Vitruvius Architectur. lib. 7. cap. 8. Parietes passim expolitione miniacâ expoliebantur.* Miniaceum est illud, quod ad minium & floridum colorem pertinet. Hoc miniariarum Cinnabari intra corpus assumptum venenum quidem est: expetitum tamen olim fuit propter floridum colorem, qualem etiam habet in psittaci cervice torques miniatus. Et ideò, monente *Vitruvio Architectur. lib. 7. cap. 9.* Minium in picturis adhibitum, vel etiam in expolitionibus conclavium tectoriis inductum, permanere sine vitiis suo colore debet. *Minius* fluvius *Hispaniæ* est, à Minio ita dictus, & certè Minii nulla terra feracior *Hispaniâ*, teste *Plinio* & *Trogo*.

Præterea Cinnabaris, cùm *Græcis* dicatur Κιννάβαρι, hînc oritur verbum κιννα βαρίζω Cinnabaris colore sum; colore Cinnabarin imitor. *Dioscorides lib. 5. cap. 69.* nec non κιννα βάρειος, Cinnabarinus, veluti color Cinnabarinus, & collyrium Cinnabarinum.

CAPUT VI.

Cinnabaris Mineralis, seu Minii Naturalis differentias constituit.

PEr Cinnabarin & Minium, quod idem sunt *Aristoteles, Theophrastus, Galenus, Plinius, Vitru-*

truvius, *Braſſavolus* & *Ulyſſes Aldrovandus*, Viri docti atque eruditi metallicum quid, diverſimodè tamen, intellexerunt, hujuſque plura fecerunt genera. Itaque primum genus Minii naturalis & foſſilis eſt lapis concretus, durus, qui eruitur ex fodinis argenteis, & Cinnabaris mineralis appellatur. Secundum genus decutiebatur ſagittis ex rupibus inacceſſis prope *Colchos*, ad quos (ut fama eſt) jam navigavit *Iaſon Theſſalus* cum Argonautis, ut vellus aureum conſequeretur; ſed hoc genus Minii naturalis ignotum nobis eſt, cùm ob hominum inertiam ejus uſus ceſſaverit. Tertium genus Minii naturalis habet formam pulveris colorati, in iiſdem fodinis exiſtentis, & ab *Ariſtotele in Meteorologic.* coloratus cinis fuit appellatus, quem poſtea *Galenus* nomine Minii cum aliis *Græcis* intellexit; qua de cauſa etiam *Galenus* ſcripſit, vi erodente, ad inſtar aliorum metallicorum pollere. Quartum genus Minii naturalis & foſſilis *Cornel. Celſus* procul dubio memoravit, verba faciens *lib.4.cap.15. de dyſenteria*, ubi circa finem, adverſus ulcera inteſtinorum Minii glebam valere aſſeruit; gleba autem indicat quodcunque minerale corpus, vel terreſtre ſolidum, ope naturæ nulloque interveniente hominis artificio, ortum; idcircò per glebam Minii intelligendum eſt Minium naturale, coloris rubri coccinei, quod ab aliquibus, referente *Plinio* Cinnabaris appellatur; quinimò addidit *Plinius*, Minium Græcis μίλτον vocari: item in antiquis Codicibus *Dioſcoridis*, & *in capite de Rubrica Sinopica* hæc erat inſcriptio: Μίλτος Σινωπικὴ; quæ voces ad mentem *Plinii* per Minium *Sinopicum* exponi queunt; ſicuti quoque prædicta rubrica olim temporibus *Trojanis*, *Homero* teſte, pro picturis, &

præ-

præſertim in uſu medicinæ ſummoperè commendabatur, & inprimis, quando refrigerare, exſiccare, & omnem fluxionem coercere opus erat; quamobrem ab omnibus ferè Autoribus celeberrimis noſtræ ætatis communis & vulgaris bolus *Armenâ* coccinei coloris eſſe creditur, & poſtea non ex *Armenia* ſolùm, ſed ex *Germania* quoque advehitur: imò & ex fodinis *Italicis*, ubi ferrum eruitur, cùm tamen in mineris etiam argenteis & aureis reperiatur. Quintum genus Minii naturalis recenſuit *Braſſavolus in libro Examin. Metall.* ubi hiſtoriam lapidis anthracis recitat; qui eſt gleba & propria ☿rii vomica, ex qua ope ignis fornacum olim Minium parabant, additque prædictam glebam habere circa ſe pulverem rubeum à natura productum, & pro picturis pulcherrimum. A Mercatore *Norinbergenſi* habuit *Vlyſſes Aldrovandus*, ut ipſe *Muſ. Metallic. lib.4. cap.*20. teſtatur, Minium, inſtar glebæ, colore penè purpureo, ſed fractum, guttas ☿rii oſtendit. Ex *Bohemia* etiam accepit fruſtum lapidis marmorei, cum ſcintillis ☿rii incluſis; undè meritò quis hîc dicere poſſet, hujuſmodi materiam marmoream vel alabaſtrinam in terræ viſceribus, virtute caloris ſubterranei, paulatim in lapidem miniaceum converti, & talem adipiſci colorem, ſicut auripigmentum in viſceribus terræ non tantùm caloris vi ſubterranei, ſed etiam violentiâ ignis artificialis in ſandaracham tranſmutari videmus.

Jam accedendum eſt ad differentias Cinnabaris artificialis, ab antiquitate deſcripti; quarum prima parabatur ex arena ſubrubra & radiante, quam ex *Cilbianis* apris prope *Epheſum*, *Joniæ* urbem, in *Aſia* minori, colligebant; hujus autem arenæ autorem

fuiſſe

fuiſſe *Calliam Athenienſem Theophraſtus* his verbis retulit: *Callias* magnâ ſpe ductus conficiendi auri, hanc ſubrubram coquebat arenam, mox emolliebat, eamque lavabat, ſed tandem ſpe auri faciendi fruſtratus, fecit Minium, quod Cinnabaris eſt, pigmenti genus præſtantiſſimum & pulcherrimum. Altera differentia Cinnabaris factitii vocatur à *Plinio* Minium ſecundarium, cùm ſecundum locum præſtantiæ occuparet; hoc autem antiquitus ex lapide plumbario uſto & loto parabatur. Tertiam differentiam Minii vel Cinnabaris factitii veteres elicere conſueverunt, ex lapide anthrace coloris ſubrubri, ex quo violentiâ ignis primùm ☿rius extrahebatur, & rurſus paulò poſt, virtute ignis fornacum, ex reliquo Cinnabrium faciebant, & ſæpè, *Vitruvio* teſte, Minium appellabant. Hoc autem Minium proculdubio intellexit *Dioſcorides*, quando illos acriter reprehendit, qui Minium eſſe Cinnabarin exiſtimant, quoniam ibi *Dioſcorides* pro vero Cinnabari ſanguinem draconis intellexit, veluti ſuperius jam diximus & adhuc dicemus. Poſtea *Dioſcorides* etiam duas Minii differentias monſtravit: unam Minii, quod fiebat ex lapide, arenæ argenteæ permiſto, qui in *Hiſpania* inveniebatur, eratque naturæ illius arenæ, quam in Cilbianis agris colligebant: alteram differentiam ex anthrace elici debere monuit, ubi propria ☿rii ſigna ponit, emittere halitum ſtrangulantem dicens. Deindè aſſignat modum adhuc obſervatum à foſſoribus vomicæ ☿rii, ex quo Cinnabaris paratur, & priſcorum eſſe Minium perhibetur. Itaque *Joſephus Quercetanus Tetr. graviſſ. capit. affect. cap.* 33. immeritò *Dioſcoridem* taxavit, quòd aſſeruerit, ☿rium fieri ex Minio non vulgari, cùm *Dioſcorides*
per

per anthracem ☿rii vomicam intellexerit, quam more antiquorum Minium nuncupavit, prætérquam quòd *Dioſcoridi Amatus Luſitanus in comm.* aſſentitur, & idem aſtruit *Braſſavolus in ſuo Metallic. Examin.* aſſerens, verum Minium eſſe glebam in venis argenti vivi, quæ anthrax ſalutatur, circa ſe rubrum habens pulverem, qui antiquis pro pictura laudabatur, & pro vero Minio ſuperius fuit declaratus. Hînc ſatis patet, hoc in loco *Dioſcoridem* de Minio noſtro vulgari non eſſe loquutum, ut *Quercetanus* cenſuit; hoc enim fit ex ceruſſa ad rubedinem combuſta; quæ ſandyx etiam, non Minium, antiquis dicebatur, & ſandaracha apud *Vitruvium* nomine prorſus æquivoco, cujus meminit poſtea *Virgilius Eclog.* 4. hoc verſu:

Sponte ſuâ ſandyx paſcentes veſtiet agnos.

Hoc genere Minii Officinæ noſtræ in uſum Medicorum & pictorum plurimum exundant.

Aliud etiam emerſit Cinnabrium, novum Chymicorum inventum; quòd à ſuperiori Minio ratione nominis, materiæ & facultatis maximè diſcrepat; hoc enim non Minium, ſed Cinnabaris factitia, vel Cinnabrium factitium dicitur, & arte adeò pulchrum fit, & naturali Cinnabari ſimile, ut difficulter unum ab altero dignoſcatur.

Egregiè *Joh. Dan. Horſtius Pharmacop. Galeno-Chemic. Catholic. part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 14. poſt Cinnabarin *Dioſcoridis*, quam arboris cujuſdam, in *Africa* naſcentis, ſuccum cenſet, quemque pro ſanguine draconis habet, Cinnabaris mineralis, à ſuperiori vegetabili multùm diſtantis, duas generales differentias efficit, nativam unam, & alteram artificialem. Illam rurſus duplici notat diſcrimine; alia enim ex multis argenti fodinis, ut quæ in *Hydria*

eſt, eruitur, videturque eſſe gleba purpuraſcens, hydrargyro multo referta, ex qua ſæpè ſpontè proſilit; alia in venis fodinarum argenti reperitur, diciturque Minium ſecundum.

Artificialem Cinnabarin ex ſulphure & argento vivo ſimul igni coactis factam ait, quam Cynaprium *Braſſavolus* vocavit, ad diſtinctionem Cinnabaris nativæ, quam ex *Dioſcoride* lachrymam arboris *Africæ* ſolummodò tenet. Reverâ tamen Cinnabarin, Cynaprium & Minium, præſertim apud recentiores, qui hæc omnia ſedulò ad rationis examen adducunt, non diſcrepare videt; & qui diſcrepare pertinacius contendent, ſingulorum deſcriptionem accuratam exhibentes, omnia unum eſſe concludent. Nomenclationis enim varietas ita ſæpè rem ipſam obſcurare valet, ut aliquo modo veniant etiam excuſandi illi, qui Cinnabarin, Cynaprium, milton, & vermillionem diverſa cenſuerint.

Cinnabaris ergò diſcrimina quatuor inducit: prior eſt Cinnabaris *Dioſcoridea*, quæ ſuccus dicitur arboris *Africæ*, cujus ſuccus, ut etiam illa ipſa, draco vocatur. Altera, mineralis eſt illa, inſigni rubore nitens, nec multum ponderoſa, quæ in fodinis argenti vivi reperitur, ibique cum flammeo & rutilo colore ſplendeſcit; anthrax à foſſoribus ſæpè nuncupatur: utraque rara admodum eſt. Tertia eſt ex ſulphure & argento vivo factitia, ponderoſa, lineis veluti argenteis & rubris intermixta. Quarta in venis fodinarum argenti reperitur, ſervaturque in officinis in forma pulveris eximio rubore nitentis, quem alii Cinnabarin, alii milton, alii Minium, vulgus officinarum vermillionem; nonnulli ſandycem appellant. Eſt verò ſandyx ceruſſa uſta, quam ob eximiam ſuam rubedinem *Serapio* Minium vocavit;

cavit; cujus autem opinioni recentiores omninò refragantur.

Pulverem illum purpureum, quem Officinæ pro vermillione ſervant, cum *Plinio hiſt. nat. lib. 33. c. 7.* Minium ſecundum vocat, quod in fodinis argenti reperitur, & artificioſâ pluriesque repetitâ lotione pulchriorem rubedinem nanciſcitur, adeò ut tota Minii ad Minium differentia, inquit *Plinius* ex ſola lotione & arte petenda ſit. Primum autem Minium, ſeu Cinnabaris mineralis iſtâ lotione non eget, & igne copioſum reddit hydrargyrum. Secundum, ſeu vulgare, vermillio dictum, in igne quidem rubet, ſed ne tantillum argenti vivi eructat, nec, niſi rarò, Medicis uſibus inſervit.

Quoniam verò hæc Cinnabaris & Minii genera partim nobis ſunt ignota, partim etiam in officinis non proſtant, ſolùm hoc Cinnabrium & Minium agnoſcimus, quod nobis manifeſtum eſt, cujus etiam uſus egregius omnibus non eſt ignotus. Hoc Cinnabrium autem eſt minerale, ſeu Minium naturale, quod in *Hydria*, *Armenia*, *Italia*, *Hiſpania*, *Ungaria*, *Germania*, &c. ſæpius ex hydrargyri, argenti, nonnunquam etiam ex auri fodinis eruitur, nihilque aliud eſt, quàm lapis rubri coloris in iis venis, cujus vomica liquoris æterni argentum vivum appellatur. Et licèt alia etiam dentur Cinnabria & Minia, ut Cinnabrium vegetabile *Dioſcoridis*, Cinnabrium artificiale, Minium factitium, & Cinnabaris ♁nii; Cinnabrium tamen nativum eſt præcipuum, illudque multum ab hiſce diſtat. Et hinc Cinnabrium nativum & minerale, non ratione ſolùm ſui, ſed reſpectu etiam aliorum multum differt. Ratione ſui differt primum intuitu loci natalis; aliud enim reperitur in *Armenia*, aliud in *Italia*, aliud

in *Hiſpania*, aliud in *Germania*, & præcipuè in *Hydria*, *Miſnia*, ad Rhenum, &c. Differt etiam ratione conſiſtentiæ, magnitudinis, ſuperficiei, figuræ, coloris, odoris & ſaporis. Aliorum reſpectu differt. Plurimum enim à Cinnabari vegetabili *Dioſcoridis*, Cinnabari factitia, Cinnabari ♁nii, Minio factitio, anthrace, ſandaracha, ſandyce, auripigmento, rubrica *Sinopica* & fabrili, lapide hæmatite, argento rudi coloris rubei, ammo chryſo, hyacintho, granato, carneolo, coralliis, ſchiſto, cupro & ſimil. diſtat, hæcque parum aut planè nihil cum illo conveniunt. Quomodo verò Cinnabaris noſtra nativa à ſingulis differat, in ſequentibus videbimus.

CAPUT VII.

Differentiam inter Cinnabarin Mineralem & vegetabilem Dioſcoridis, quæ aliàs ſanguis draconis appellatur, agnoſcit.

Κιννάβαρι *Dioſcoridis* longè aliud diverſum eſt à Minio, τὸ κιννάβαρι, μίλτος, ἄμμιον καὶ ἄνθραξ aliàs dicto; hoc eſt, minerale, illud verò vel animale vel vegetabile eſt. Animale *Plinio* dicitur Cinnabaris *Indica*, quam ipſe cum *Jul. Solino in var. hiſtor. lect. cap.* 38. multiſque aliis falſò draconis ſanguinem eſſe credidit: qui error ad hanc uſque ætatem dimanavit. Namque hanc *Indicam* Cinnabarin, quâ veteres monochromata ſua pingebant, & ſanguinis ſpeciem ementiebantur (neque enim alius eſt color, qui in picturis propriè ſanguinem reddat) Medici vocarunt ſanguinem draconis, ut

ut & *Nic. Myrepsus* κιννάβαρι, καὶ αἷμα δράκοντος; referunt enim litem esse inter dracones & elephantes maximam, atque inimicitiam, quia dracones illi, de magnis intelligendum, sunt æstuantis naturæ habentque sanguinem calidissimum, & ideò, quando sunt in locis calidis, præ nimio fervore, quâ flagrant, extinguendo vel contemperando, appetunt continuò sanguinem elephantum, qui frigidus est; undè dracones ipsi, latescentes in illis rupibus, invadunt elephantes, in oculis vel in auribus, quas duas partes nequit tale animal suâ proboscide tueri, sicut tuetur reliquum corpus: & ita draco cavitatibus illis hærens, arripit venas, & haurit totum elephantis sanguinem: quo extracto, deficiunt spiritus, & robur elephanti, & ita concidit supra draconem, fitque illisio, ex qua illisione erumpit haustus sanguis à dracone, & sanguis etiam draconis madefacit terram; quæ terra madefacta, & sanguine illo imbibita, dicitur esse Cinnabaris, seu sanguis draconis. Verùm historia hæc, ut jam diximus, fabula est, neque draconis bestiæ maximè venenatæ cruor salubris esse potest.

Non est ergò hoc Cinnabari animale quid, seu draconis sanguis, sed potius vegetabile, seu lachryma arboris *Indicæ* concreta, ut rectè dixit *Arrianus in Periplo, in navigat. Afric.* ita scribens: Γίνεται δὲ ἐν αὐτῇ καὶ κιννάβαρι, τὸ λεγόμενον ἰνδικὸν, ἀπὸ τῶν δένδρων ὡς δάκρυ συναγόμενον. Cinnabarin hanc pariter *Hadr. Junius in Nomenclatur.* pro arboris *Indicæ* lachryma habet, sanguinemque draconis à colore vocatum censet, non autem, quòd sit sanguis elisi ab elephante draconis. Gummi cujusdam arboris in Africa nascentis ad nos deferri scribit *Petr. Andr. Matthiolus comm. in Dioscorid. lib. 5. cap. 69.* quod

etiam hoc ævo sanguinis draconis lachrymam officinæ vocant, colore sanguinis, pellucidum, leve, & fractu minimè contumax. Hanc opinionem veram esse oculatâ etiam fide, καὶ ἐκ τῆς αὐτοψίας confirmat *Aloisius Cadamustus, Patritius Venetus lib.*4. *in suis in Africam navigat.* cum ex arbore quadam hoc gum̃i collachrymare, colore & substantia sanguini simile, tradit: inciso tamen ab incolis prius arboris cortice, ut fusius indè effluat. Hoc, ut *Idem* subdit, æneis cacabis excipiunt incolæ, & igni resinæ modo decoquunt, quoûsque consistat, draconis sanguinem, nescimus, quâ ratione ducti, ipsum appellantes, nisi id eveniat, quod fortasse suâ linguâ, plantam à qua defluit, draconem nuncupent. Fructum ejus arboris similem facit ceraso, coloris cœrulei: arbores etiam certo anni tempore inciduntur: anno verò proximè sequenti fluunt. Insulæ, quæ arbores eas fert, incolæ sylvam draconum appellant, & advenas eam adeuntes per jocum tali nomine deterrent, Et *Iac. Dalechampius comm. in Plin.lib.*33.*cap.*7.*hist.nat.* Cinnabari verum esse sanguinem draconis refert, provenientem ex arbore, in *Fortunatis* Insulis, quas *Canarias* vocant, nascente. Arbor hæc draco, referentibus *Ioh. Bauhino Histor. Plantar. Vniversal.lib.*3.*cap.*211. & *Dominico Chabræo Stirp. Icon. & Sciagraph.class.*3. procera est apud Insulas *Maderiæ* & *Canarias*, olim *Fortunatas* dictas, nec non in *Africa* proveniens. *Europæ* haud est cognita: crevisse tamen aliquando *Antwerpiæ* in horto *Coldembergii* testem habemus *Lobelium.* Ejus an veteres meminerint, haud ita est apertum: sed gummi & lachrymæ ejus haud obliti creduntur, atque Cinnabarin inscripsisse. Ex recentioribus sic de ea arbore scribit *Thevetus*: *In Insula Madera*

qua-

quædam arbores certo anni tempore gummi exudant, quod ſanguinem draconis vocant.

Ex his itaque conjectare poſſumus, gummi hoc *Dioſcoridi* facilè Cinnabarin eſſe, quòd primùm non aliundè, quàm ex *Africa* deferatur, nec indè copioſum: quod item à pictoribus expetatur, ut intento ejus colore, purpureas, rubenteſque concinnent umbras, ubi prius picturas rubro vel purpureo infecerint colore: quod deindè ob raritatem, etiam hoc tempore, quo frequentius in *Africam* navigatur, non vili veneat pretio: quod deniqúe, ut *Dioſcorides* inquit, viribus hæmatitæ lapidi per omnia reſpondeat. Nam, ut periculum facientibus liquidò patebit, adſtringendi vi pollet, & majori quidem, quàm lapis hæmatites; quo fit, ut felicius eo utantur Medici ad muliebres & dyſentericas fluxiones, ad cruentas exſcreationes, ad firmandos commotos dentes, & roborandas gingivas. His accedit, quod ſi *Dioſcoridis* ætate non deeſſent, qui Cinnabarin eſſe draconis ſanguinem exiſtimarent, mirum ſanè non fuerit, ſi per plures ætates producta hæc falſa opinio ferè ad hæc uſque tempora invaluerit. Aſt ipſe, ne ſimplicium medicamentorum doctrinam ſectantes, hoc tenerentur errore, inanem eorum ſententiam ſilentio involvendam non duxit, qui Cinnabarin draconis ſanguinem appellabant, cum inquit: *Hactenus invenitur Cinnabaris, ut vix verſicoloribus pictorum lineis ſatisfaciat, intento colore, nec diluto prædita: quare quidam ſanguinem eſſe draconis exiſtimaverunt.* Ex his igitur cùm conjecturis, tùm rationibus quis colligeret, hanc lachrymam, colore ſanguinem præ ſe ferentem, legitimam eſſe *Dioſcoridis* Cinnabarin.

Cæterùm videtur hac in re manifeſtè aberrâſſe

Plinius; etſi enim aſſerat is, Cinnabarin nihil aliud eſſe, quàm draconis, ferociſſimæ belluæ, ſanguinem, eliſæ elephantorum morientium pondere, permiſto utriuſque animalis ſanguine; cùm tamen dixerit, nullum alium reperiri colorem, qui in picturis magis ad vivum ſanguinem reddat, quàm Cinnabaris, facilè deprehenditur error. Quippe neceſſarium ſanè fuerit, ut de hac lachryma omninò intellexerit, putâritque, falſus vulgari appellatione, lachrymam hanc illum draconis ſanguinem eſſe, ab elephante, ut referunt, colliſi. Conſentaneum enim minimè videtur, ut hujuſce belluæ ſanguis extra vaſa in terram diffuſus, pulvere & lapillis commiſtus, ſitu & putredine obductus contabefactuſque, vivum ac verum ſanguinis colorem referre poſſit: quemadmodum nec ille ſyncerum ſanguinis colorem præbet, quem impoſtores ſuo arbitrio factitant, ex hircino ſanguine, terra *Lemnia*, rubrica fabrili, contuſis lateribus, & ſorbis diutius inſolatis, illius, quantum poſſibile eſt, colorem & ſubſtantiam imitantes, qui ex colliſis ſimul draconibus & elephantibus, ſi modò verum ſit, emanare ſolet. Et ita factum eſt, ut in naturalis draconis ſanguinis defectu factitium ſuppoſuerint impoſtores, & hanc fraudem excogitaverint; neque ſolùm ratione jam dictâ ipſum parant, ſed etiam modis aliis compluribus reſinas, rubiæ infectoriæ radices, Braſilii ligni rubri decoctum, tragacanthæ gummi, rubricas & alia permulta immiſcent. Sanguinem hunc draconis naturalem in lachrymis, ut eum *Gabriel Fallopius tr. de Metall. & Foſſil. cap.* 36. appellat, *Leonicenus* metallicum quiddam eſſe cenſuit; nec videmus, quo alio argumento, quàm quòd ejus mentio inter metalla facta ſit; cùm ipſe *Dioſcorides*, quid non

non ſit, dicat, quid verò ſit, tanquam non ſatis cognitum, taceat. Verùm reſpondemus, quod, cùm ea hoc loco recenſeat *Dioſcorides*, quæ, ob colorum nitorem in pictorum veniunt uſum, nempè ceruſſam, chryſocollam, lapidem *Armenium*, lapidem cœruleum, Indicum, ochram, & alia pleraque, non mirum, nec præter inſtitutum nobis ſanè videtur, quod his etiam Cinnabarin adjecerit, quamquam arboris fuerit lachryma. Videmus enim inter hæc Indicum quoque à *Dioſcoride* connumeratum eſſe, quod tamen nec foſſile, nec metallicum eſt, ſed in *India* ſpumæ inſtar ex arundinum quarundam germinatione ſpontè provenit: atque etiam arte quâdam fit ex iſatide herba in officinis infectoriis. Diverſiſſima itaque longè Cinnabaris vegetabilis, aliàs draconis ſanguis dicta, erit à minerali, quæ foſſilis eſt; & hînc etiam in veterum Medicorum medicamentis quando Cinnabaris mentio fit, ſemper intelligenda venit arboris lachryma, ſanguis nimirum draconis; nam cum Cinnabaris hæc, *Dioſcoridis* teſtimonio, hæmatitæ lapillo pares habeat vires, probaveritque is hæmatiten ad urinæ difficultatem, dubitandum ſanè non eſt, quin conſultò antiquorum Cinnabarin in *Damoſonii* antidoto addiderit *Nic. Myrepſus*, quam ſpeciatim ad difficultatem & ſtillicidium urinæ commendat.

Succum ſideritidis *Achilleæ* eſſe Cinnabarin *Dioſcoridis*, ſeu ſanguinem draconis putârunt *Arabes*, ut *Avicenna* & *Serapio*; iſti enim per ſanguinem draconis nihil aliud intelligunt, quàm ſideritidem *Achilleam*; cùm tamen ſuccus iſte non ſit Cinnabaris *Dioſcoridis*, quoniam *Dioſcorides*, qui eam herbam *lib.4. cap.32.* diligenter deſcripſit, ejus nul-

lam fecit mentionem: quoniam etiam Cinnabaris *Dioscoridis* est genus pigmenti satis præstans, & coloris rubri satis intensi: ast succus ille non habet intensum colorem rubrum; licèt ergò succus ille sit ruber, & adstringens; quia tamen non est intenso rubore præditus, cujusmodi est pigmentum, de quo *Dioscorides* hîc agit, non est dicendus Cinnabaris. Est tamen succus ille verè sanguis draconis ipsorum *Arabum*; cùm verò talis succus non sit Cinnabaris *Dioscoridianus*: nec ipse explicet, quid sit, in horum imus sententiam, qui Cinnabarin succum seu lachrymam arboris cujusdam, draconis dictæ, volunt esse; quod etiam ipse gustus & sapor indicat. Apud *Agricolam de Re Metallic. dialog. pag.* 480. *Nævio* retulit mercator quidam, arborem à se visam in *Libya* & finitimis regionibus proceram, ex qua sanguis ille draconis manaret.

Cinnabrium autem istud, quod veteres sanguinem draconis dixerunt, duplex facimus. Primum est rubrum, ut sandaracha & Minium, suntque glebæ non magnæ. Utuntur *Venetiis* illis pictores, quia sanguinem colore imitantur: & utuntur etiam illis Medici ad antidota. Alterum est atrum, in globi figuram formatum adfertur, compressi tamen, & non assurgentis, quod est adulterinum; cujus rei indicium est nimius lentor. Videntur enim quædam gummi admixta veræ Cinnabari, cujus particulæ adhuc conspici queunt, idque Medicamentarii pro vero vendunt.

Cùm è *Græcis* quidam, inter quos est *Theophrastus*, etiam verum illud Minium non ἄμμιον, sed κιννάβαρι, ob coloris saturi similitudinem, nominent, & *Dioscorides* etiam scribat falsò quosdam existimâsse, Cinnabarin idem quod Minium esse,

quæ-

quærit ex *Nævio Bermannus* apud *Georg. Agricolam de Re Metallic. dialog. pag.* 450. an viderit veram Cinnabarin. Reſpondet ipſi *Nævius* ita: Vidi *Venetiis* duplex ejus genus, quod ſanguinem draconis vocant; alterum ita rubebat, ut ſandaracha vel Minium; erant enim glebæ quædam, non perindè magnæ, quod veram Cinnabarin cum *Leoniceno* eſſe credo; nam tàm pictores quàm Medici ipsâ utuntur, quòd in picturis propriè ſanguinem, ut *Plinius* ait, reddat, & antidotis medicamentiſque utiliſſima ſit; præterea non minus carè, quàm olim, venditur. Alterum erat atrum, in globi figuram formatum, compreſſi tamen, & non aſſurgentis, quod adulterinum procul dubio eſt; cujus rei indicium nimius lentor; videntur enim gummi quædam admiſta veræ Cinnabari, cujus adhuc aliquas particulas conſpicere licet. Id ubique Medicamentarii harum rerum ignaris pro vera vendunt.

Dicimus etiam, quod verus & naturalis ſanguis draconis, de quo agit *Dioſcorides*, ſit Cinnabaris *Indicus*. *Indicus* eſt, & non ſimpliciter Cinnabaris; quoniam Cinnabaris ſimpliciter eſt aliquid metallicum: Aſt Cinnabaris *Indicus*, ut *Aëtius tetr. lib.* 15. *cap.* 12. in compoſitione emplaſtri illius, quod purpura vocatur, cenſet, cujuſdam plantæ ſuccus eſt. Vel, ut *Arrianus in Periplo, in Navigat. Africæ* dicit, Cinnabaris *Indicus* vel ſanguis draconis in lachryma, eſt lachryma plantæ ſeu arboris cujuſdam, quæ draco appellatur, & quidem illiſæ; & indè forſitan habuit occaſionem fabula illa, quòd eſſet ſanguis draconis illiſi: & quia fortaſsè ſuccus per expreſſionem in torcularibus extrahebatur olim ex illa planta, ideò dixêre, quod eſſet ſanguis draconis illiſi: quòd autem Cinnaba-

ris *Indicus* etiam ſit, de quo *Dioſcorides* loquitur, & idem ſit, quod ſanguis draconis in lachryma, uſus, præter recentiorum autoritatem, fidem facit. Videmus ſiquidem, quòd Cinnabaris *Dioſcoridis* refrigeret, adſtringat & cohibeat: quæ omnia quoque ſanguis draconis præſtat; exhibetur enim ad cohibendum ſanguinis fluxum, & ad ſupprimendum fluxum ſanguinis per alvum. Præterea Cinnabaris *Dioſcoridis* eſt pigmentum: ita & ſanguis draconis eſt in uſu pro pigmento. Cum enim pictores volunt exprimere ſanguinem, ex vulneribus Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti manantem, nihil aliud adhibent, quàm ſanguinem draconis, & eſt pigmenti genus rarum. Addimus, quòd, ſicuti Cinnabaris *Dioſcoridis* deferebatur ex *Africa*, ita ſanguis draconis ex *Africa* deferatur. Addimus etiam authoritatem *Ludovici Cadamuſti*, *Veneti*, qui ſanguinem draconis in lachryma colligi in Inſula *Sanctæ Crucis* teſtatur.

Ex his itaque omnibus colligimus, Cinnabarin *Dioſcoridis* eſſe ſanguinem draconis naturalem, non autem eum, qui ex decocto ligni Braſilii rubri, decocto ligni ſantali rubri, ſanguine caprino, ſorbis tritis, quibuſdam gummatibus & ſimil. paratur, quem ſtatim dignoſcimus à naturali, cùm factitius ille venulas quaſdam albicantes habeat, quæ brevi temporis ſpatio ejuſmodi gummi efflore-ſcunt.

CAPUT VIII.

Differentiam inter Cinnabarin Mineralem & factitiam admittit.

Cinnabarin, uti ex ſuperioribus notum, triplicem diximus: unam animalem, ex falſa quorundam ſententia: alteram vegetabilem: & tertiam mineralem; huic addidimus etiam factitiam, ſeu artificialem, & Cinnabarin ♁nii. Videtur quidem ſimilitudo quædam inter Cinnabarin mineralem & factitiam; verùm, ſi rem ipſam accuratius intueamur, multis paraſangis differunt. Prior eſt naturalis, & ex fodinis argenteis eruitur; poſterior eſt artificialis, & arte Chymicâ comparatur; hînc nomine quoque differunt, & quamvis cauſâ materiali convenire videantur, differunt tamen, cùm cauſa materialis aliter in fodinis, aliter in officinis Chymicorum ſit conſtituta; in fodinis argenteis cauſa materialis eſt naturalis & mineralis: in officinis verò Chymicorum utplurimum factitia eſt. In colore quidem videtur aliqualis ſimilitudo, in re verò nulla. *Cinnabarin cum dicis*, inquit *Joh. Fr. Picus Mirandula lib. 2. cap. 10. de Auro, quis non retur, te Bulcaſis Arabis compoſitionem dicere, ex vivo argento ſulphureque coagmentatam, à vera Cinnabari tàm diſtantem, quàm à leone ſimia: eſt in colore aliqua, nulla in re ſimilitudo.* Notat *Gabriel Fallopius tr. de Metall. & Foſſil. cap.* 36. quòd arte efficiatur Cinnabaris ita ſimilis ei, qui effoditur, ut difficillimum ſit alterum à reliquo dignoſcere, cum uterque habeat eundem colorem, eandem conſiſtentiam, & micas internitentes. Ex *Vitruvio* tamen *Architectur.*

ctur. lib. 7. cap. 9. docet rationem dignoſcendi unum ab altero. Hic ita loquitur: *Quando vis dignoſcere Minium naturale ab arte facto, debes capere laminam ferream ignitam, & ſuper ipſam ponere Cinnabarin, & tamdiu inibi relinquere, donec niger fiat: deindè ſinito,* ut *refrigeretur: & ſi videris, quòd refrigeratus retinet ſuum colorem rubrum, dicas eſſe Cinnabarin naturalem: ſi autem contrahat colorem nigrum, dicito eſſe artificialem.* Modum dignoſcendi unum ab altero hunc nos meliorem ducimus: Cinnabaris naturalis cum aduritur, flamma ejus illuſtrior eſt atque ſincerior, nebuloſior factitiæ, ex cujus rogo nihil reſtat. Reſtat ea, quam natura peperit, in qua vivi argenti ſcintillare micas, in factitia quaſdam quaſi lineas crebriores hydrargyri videmus.

Ut verò differentia inter utramque manifeſtior fiat, paucis de Cinnabari artificiali diſcurrere nobis animus eſt. Qui Cinnabarin artificialem vulgarem primitus fecerunt, ☿rium in aurum mediante ♀re coagulare & convertere conati ſunt, hypotheſi vulgari commoti, ut metalla reliqua, illud ex ♀re & ☿rio ortum habere. Sic pro hoc ipſo probando citatur à *Majero lib. de ſeptem Montib. planetar. c.* 1. *p.* 43. *Theophraſtus Ereſius*, aſſerens *lib. de lapidib. pag.* 12. *Calliam* quendam *Athenienſem* feciſſe Cinnabarin, cum ſe aurum facere præſumeret. Et *Joh. Fr. Picus Mirandula lib.* 2. *cap.* 10. *de Auro* inventorem hujus Cinnabaris eſſe *Bulcaſin Arabem* tradit. Verùm, utut aſſertum ſuperius veriſſimum ſit, tamen ſi locum *Theophraſti* cum Excell. *Georg. Wolffg. Wedelio Miſcell. Curioſ. Germanic. Ann.* 3. *obſ.* 105. examinemus accuratius, ſenſus illius non erit, compoſitionem Cinnabaris artificialis pictorum

rum inventam esse à *Callia*, sed solummodò illud artificium, quo Cinnabaris nativa & mineralis hodiè, & quidem optimo modo, mediante aquâ, depuratur, cujus terminus usitatus est: Schlemmen. Quisquis ergò sit Autor, nobis perindè est.

Cinnabaris hæc paratur ex ☿rio vulgi currente, & ♀re communi ac puro; liquando nimirum ♀ris uncias quatuor, immiscendoque illi ☿rii uncias octo. Ex hac mixtura, beneficio sublimationis repetitæ, nanciscimur Cinnabarin artificialem Officinarum, cujus exactam præparationem non *Paracelsus* solùm, sed alii quoque Medici & Chymici tradiderunt.

Eam *Paracelsus de natura rerum lib. 5. qui inscribitur de morte rerum naturalium*, sic proponit. Mercurius in Cinnabarin redigi si debeat, prius cum sulphure mortificandus, liquefaciendus, & in nigrum pulverem redigendus. Pòst ex cucurbita in alembicum sublimandus in formam lapidis hæmatitis. Clarior faciliorque videtur præparatio Cinnabaris artificialis *Joh. Schroderi* & *Guerneri Rolfincii*. Ille *Pharmacop. Medico-Chymic. lib.3. c. 15.* eam ita efficit ℞. ♀ris com. ℥iij. vel ℥iv. Huic liquefacto infunde ☿rii vivi ℔j: Spatulâ ligneâ benè agitando incorpora, donec ☿rius à ♀re planè consumptus videatur. Hînc massam refrigeratam tere super marmore atque sublima, ex sublimatorio lutato, igne primùm leni, deindè auctiori, &c. primùm ascendit fumus citrinus, paulatim rubescens. Quando itaque fumus nigro rubeus ascendere incipit, urge igne violentissimo horas quatuor vel quinque, & sublimabitur Cinnabaris, adhærescetque lateribus, quam exime, rejectis fecibus in fundo & capitello. Hic verò *Chym. in artis form. redact.*

dact. lib. 5. sect. 5. cap. 4. sic eam præparat; quæ præparatio autem ferè cum priori coincidit. ℞. ♀ris com. ℥iv. ☿rii current. ℔j. Liquefacto ♀re, benè bacillo ferreo agitando, incorpora utrumque, donec ☿rius à ♀re planè absorbeatur. Post massam frigefactam tere super marmore, & inde in vas terreum. Superposito alembico vitreo, administratis ignis gradibus, ascendit fumus citrinus, aut luteus, mox nigro-rubens. Pòst concrescit Cinnabaris ad latera vasis, & in alembico. Nigra licèt appareat, pulverisatâ tamen ruberrima fit. Elegans etiam valdeque utilis Cinnabaris præparatio est, quam habet *Albarus Alonsus Barba lib. de metall. & mineral. part. 1. cap. 34.* ubi etiam *cap.* 35. Minium pro Cinnabari sumit, dicitque quòd sit rubrum.

Cinnabarin hanc incertus quidam *Autor de Alchemia cap. 8. in Theatr. Chymic. vol.* 3. vocat terram rubeam ponderosam. *Componitur*, inquit, *argentum vivum cum sulphure vivo citrino, ita quòd insimul alterentur quodammodo à suâ naturâ primâ, & veniant unum & idem in una massa rubea, quam tunc vocamus terram rubeam ponderosam.* Et illam terram rubeam, lucidam ac ponderosam nuncupat *Morienus in libro suo ad Regem Hali* & dicit: *Fac ut fumus albus, id est, ☿rius, fumum rubeum, id est, ♀ur capiat, & insimul ambo effunde, & conjunge, ita quòd par pondus apponatur. Et hæc compositio, sive dispositio, videlicet ista terra rubea, lucida, ponderosa, tota composita venalis invènitur.*

Quoniam verò hæc Cinnabaris artificialis est massa quædam concreta, ponderosa, rubea & lucida, hinc lapidi hæmatiti eam comparat *Paracelsus l. c.* & sanè nihil aliud est, quàm lapis ruber cum nitore splendente, per sublimationem maximè, ex

♀re

🜍re & ☿rio vivo confectus. Lapidem dicimus, concretionem & integritatem ejus ſpectantes. Fiunt enim non parvæ maſſæ, eæque propter argentum vivum ponderoſæ. Deteri verò in pulverem poteſt, & ſub hac forma nihilominus eſt Cinnabaris. Ea rubedinis eſt nitentis, cum fibris oblongis, ut ♁nium. Nitor eſt utriusque partis componentis, uti & rubedo, quàm ignis actu exhibet. Nam utrumque membrum poteſtate ſaltem rubet, intelligiturque utrumque commune ac purum. Ita enim de 🜍re ſcribit *Geber in Magiſterio Perfecto: Aſſociatur argento vivo, & per ſublimationem fit Uſifur:* Item: *miſtum argento vivo, ipſum transmutat in rubrum colorem; non in aurum aut argentum, quæ aliqui iſtâ compoſitione quæſiverunt.* Imò, quid dicemus, ſolum 🜍ur ita efficax deprehenditur, ut ex ea Cinnabaris pulcherrima ſit facta. Cum enim quidam crudum fixare ☿rium in aurum conarentur, 🜍ur commune, quod flavum erat, coxerunt aceto, lixivio vel urinis acerrimis per diem & noctem, uſquedum album emerſerit. Poſtmodum elevarunt à calce communi & calce ovorum, coxerunt ac ſublimârunt, idque multoties, combuſtile ſemper nihilominus extitit, licèt album: eo tamen crudum fixare ☿rium in aurum conati ſunt fruſtra, Cinnabaris tamen indè pulcherrima & omnium optima, quæ unquam viſa eſt, reſultavit: hanc fixare putantes oleo 🜍ris per cæmentationem & fixationem, apparentiæ nonnihil habuit, verùm ſecus, atque res ipſa deſiderabatur, evenit. Vid. *Theatr. Chymic. vol.* I. *pag.* 517. Hoc caſu accidit. Certior verò parandi modus erit, ſi 🜍ri conjungatur ☿rius. Quid enim aliud eſt Cinnabaris, quàm artificioſa compoſitio, vel mixtura duorum mineralium, 🜍ris

&

& ☿rii. Hinc etiam ♀ur ☉lis cum ☿rio ☾næ Philosophico junctum artificio, præstantissimam, elegantissimamque Cinnabarin dabit. Sic quoque *Avicenna lib.* 2. *tr.* 2. *cap.* 47. hunc in modum de Zaibach seu Argento vivo disserit: *Uzifur fit ex argento vivo cum sulphure, & possibile est, ut rursus extrahatur ex eo, sicut ex Uzifur minerali, quod est de substantia argenti vivi.* Quod experimento comprobavit *Gasto Claveus in Apolog. Argyrop. & Chrysop.* Excoquitur nimirum Cinnabaris factitia ex argento vivo & sulphure, & trita & mista oleo ♀ri, & igne valido in vase vitreo luto obstructo, in vaporem sursum elata, redit in argentum vivum, nec quicquam illi deperit. Idem in argento vivo sublimato evenit. Confer. *Quercetanus Tetr. graviss. capit. adfect. cap.* 33. & *Andr. Libavius Arcan. Chymic. lib.* 7. *cap.* 18. & *Apocalyps.* Hermetic. part. 1. cap. 5.

Hisce dictis apparet, non esse novum, neque maledictum artis opus Cinnabrium factitium, sed pridem in *Persia*, *Ægypto*, *Africa* & *Hispania* à Chymicis paratum, ut jam tempore *Avicennæ* usus ejus celebris fuerit. Consentaneum est, primos inventores putâsse, se metalla conflare posse, quandoquidem ex argento vivo & sulphure, tanquam principiis materialibus ea constare animadverterunt, fuitque hæc communis sapientum opinio. Recentiores quoque isti principiorum conjunctioni studuerunt. Hinc *Paracelsus lib. & cap. ult. de gradib. scripsit: Qui salis & Mercurii anatomiam in suum Ilech contulerit, habet arcanum ejusmodi, ut nullâ præterea medicinâ indigeat.* Est compositum magnum. Hujus analogiâ alii confecerunt ex omni misto oleum, salem & liquorem, nomine ⊖ lis, ♀ris

&

& ☿rii, trium principiorum essentialium in omni misto naturali, quibus purificatis, iterumque per imbibitiones, digestiones & coagulationes conjunctis, & circulando cum spiritu vini exaltatis, medicamenta excellentissima tandem paraverunt. Hi quidem aurum suum & argentum, hoc est, medicinas, auro argentoque, soli & lunæ comparandas, sunt consequuti, sed illi parum admodum in re metallica profecerunt. Est quidem in Cinnabari artificiosa multum adjumenti; aurum enim figendi vim habet: hydrargyrum in argentum optimum, & hoc in aurum vertit, juxta *Andr. Libavium Syntagm. Arcan. Chymic. l. 6. c.* 11. *l.* 7. *c.* 7. 8. *&* 9. item *Apocalyps. Hermetic. part.* 1. *cap.* 15. multa ex eo parantur medicamenta chymica, & multa eorum etiam dicuntur Cinnabarina; suntque adhuc alia in eadem secreta, ad purgationem argenti vivi spectantia: sed metallicam vim neutrum habet, quæ neque tali conjunctione potest consistere. *Libavius Syntagm. Arcan. Chymic. lib.* 7. *cap.* 25. *& Apocalyps. Hermetic. part.* 1. *cap.* 15. Non utitur natura vulgaribus sterilibusque principiis, sed quæ jam informata sint metallicè, possintque promoveri perficique in metallum.

Notandum autem hîc est, dum in isto opere fuerunt Chymici, semper aliquid ingeniosius excogitatum fuisse. Quidam enim non res assumpserunt crudas, sed prius elaboratas, coctas purgatasque. Non ex quavis minera quæsitus est ☿rius, sed aurea argenteave. Ex marcasita venisque auri & argenti sulphur petitum est: utrumque etiam aceto & sale aliisque acribus aquis & lixiviis antè opus diligenter ablutum. Quin & ☿rius ex auro, argento, ♃nio, bismutho est pro eadem Cinnabari extra-

ctus. Quidam aſſumunt reductum ex ſepties à 🜖lo & ⊖le ſublimato. Alii in ipſa Cinnabari purgant, ita ut novies reductus, toties cum puriſſimo 🜍re ſublimetur. Alii etiam ipſorum metallorum ſolutiones aut ☿rios adjecerunt, atque ita compoſitio facta eſt auctior ex ☿rio crudo purgato, & corporum perfectorum: qui ☿rius cum 🜍re ex marcaſitis vel ♁nio, adjecto puro minerali unitus, exhibuit pretioſam Cinnabarin, quæ reducta in argentum vivum, aliquoties eſt denuò ſublimata, tandemque aquam Philoſophicam, quam ☿rium Philoſophorum vocant, & per ſe poteſt præcipitari, figi, fermentari, & ad perfectam medicinam perduci, evomuit. A ⊖le poſt unam atque alteram ſublimationem fit Cinnabaris perſpicua, inprimis, ſi repetito opere, denuò ſublimetur. Alii adjiciunt ♁nium, aut regulum ejus: nonnulli crocum ♂tis. Eſt, ut pro 🜍re ſumatur auripigmentum, ſandaracha, arſenicum, pro ⊖le communi nitrum, quod eſſe minerale docuit experientia. Sed & ☿rius cum ſolo ♁nio componitur; undè Cinnabaris fit rubentiſſima. Aliquando cuprum apponitur: & ut retineantur feces in imo, ferri ſquamæ.

Et hæ ſunt ferè materiæ ingredientes conſtituenteſque corpus Cinnabarinum, quod lapideâ ſpecie, aut terreâ compactâ concreſcit. Serviunt autem aliquando acetum, ſal, lixivium, aquæ fortes & ſimil. quibus impuritas tollitur aut volatilitas figitur. Cum 🜍ri vulgari ſubſtituitur præparatum, flos 🜍ris aliàs dictum, à limatura chalybis & colcothare aliquoties in ſublime propulſum, magiſterium illuſtratur, exaltaturque eſſentiali acceſſu, ſicut &, cum pro argento vivo communi accipitur ſpiritus ejus nobiliſſimus ex ☿rio præcipitato, aut ſublimato ſolerter parato, extractus. Mo-

Modus apparatus plerumque conſtat ſublimatione. Fieri tamen & cæmentatione, & fixione reverberatoriâ poteſt. Sublimatio non ſemper fit in alembicum; ſed aliquando etiam ſaltem ad materiæ ſuperficiem, aut ollarum latera.

Finalis cauſa & uſus ejus eſt varius. Aliquando paratur propter ſe principali inſtituto: aliquando propter aliud, ut nimirum ☿rius vivus & communis vertatur in philoſophicum medicinale & metallicum, ſulphureâ nigredine detractâ, & impuritate terreâ, & aqueâ ſuperfluitate. Cinnabaris per ſe facta uſu communi pictoribus inſervit ad miniandas ædes aliaſque picturas faciendas. Medicis utilis eſt ad ſuffumigia, emplaſtra & unguenta contra luem veneream, ut venenum venereum eò melius eliciatur, uti videre licet apud *Paracelſum*, *Herc. Saxoniam*, *Fernelium*, *Ioëlem*, *Capivaccium*, *Quercetanum*, *Botallum*, *Sennertum*, *Hartmannum*, Baccium & alios. Internè verò loco Cinnabaris ♁nii adhiberi nequit, cum venenatæ ſit naturæ; licèt non deſint, qui, dum Specificum Cephalicum Dn. D. *Ioh. Michaelis* conficere volunt, loco Cinnabaris ♁nii, Officinarum Cinnabarin ſubſtituunt, ſed non ſine miſeranda mortalium clade; ſulphur enim ♁nii, ex quo Cinnabaris ♁nii cum ☿rio conſtat, naturæ eſt ſolaris; artificialis verò ſeu officinalis, cum 🜍re communi parata, ſæpè arſenicalis. Et eo magis etiam venenum ſuum exſerit Cinnabaris, ſi cum arſenico ſublimetur, quod cognoſcimus ex eo, cum maximè ſplendet. Arſenicalis autem naturæ eam eſſe, exempla eorum, prôh dolor, teſtantur, qui uſu ejus tùm interno, tùm externo, vel ægerrimè reſtituti, vel etiam planè mortui ſint. Sic pictor quidam apud *Fernelium in lib. de Lue venerea*

& *Ioh.Schenckium lib.7. obſ. de Cinnab. obſ.*1. per inſcitiam & imprudentiam Cinabrium admittens, in reſolutionem & contractionem membrorum, unà cum ſæviſſimis aliis ſymptomatibus incidit, qui tandem ægerrimè peritiſſimorum Medicorum operâ reſtitui potuit. Et *obſ.* 2. Nobilis quidam Adoleſcens ſuffumigio ex Cinnabari, aliquoties in ulcere penis, ex impuro concubitu contracto, adhibito diem ſuum obiit.

Si verò quis ☿rium vivum deſideret puriſſimum, illum ex hac Officinarum Cinnabari elicere poteſt; hæc enim factitia eſt, ex ☿rio cum 🜍re primùm mortificato, deindè ſublimatione exaltato concinnata; quæ facilè quoque ferè tota in ☿rium currentem convertitur; hoc eſt: ex libra una unciæ quatuor propemodum exprimuntur, ſi calci vivæ admixta ex retorta vi ignis protrudatur: quæ quidem ☿rii præparatio longè melior ac exquiſitior eſt vulgari, egregiumque in medicina ſortitur locum; ex eo ſiquidem arte Chymicâ præſtantiſſima, nobiliſſima ſaluberrimaque parantur medicamenta. Ita *Andr. Libavius Apocalypſ. Hermetic. part.*1. *cap.*4. hunc Præcipitatum aureum dulcem præſcribit. ℞. Vitrioli, Nitri, Aluminis plumoſi ana part. æqual. Deſtilla more aquæ ſtygiæ vulgaris, donec deſinant guttæ. Sume ☿rii ex Cinnabari reducti & optimè purgati partes duas, Auri partem unam. Fac amalgama, quod ſæpius aquâ calidâ ablue, & per pellem exprime; ut purgetur mundiſſimè, poteris reductum ex ſublimato ☿rium pro Cinabarino aſſumere. Amalgamati affunde aquam prædictam. Digere: deſtilla, ut prius. Fac idem tertiò. Tandem auctiori igne ad ſiccitatem perducito. Cape hoc præcipitatum: affunde ei

aquam

aquam albuminum ovorum : digere, deſtilla: affunde novam, ſimiliterque perge. Idem fac tertiò, ut omnis acrimonia extrahatur. Poſtea imbibe hunc præcipitatum ſpiritu vini : ſatis potatum in cella ſolve deliquio. Fiet liquor dulcis : coagula: ſerva. In uſu ſolvitur vino vel alio liquore, nec petit fundum. Doſis ejus eſt à grano uno ad plura. Et *Syntagm. Arcan. Chymic. lib.*7. *cap.*25. hoc notat Arcanum. Cape ☿rium ſublimatum *Venetum*, eumque adhuc quinquies ſublima cum novo ſale, ter per ſe. Quòd ſi eum aquâ cœleſti ſolvente ſolveres, & adhuc ter ſublimares, pretioſiſſimum faceres arcanum. Sume hoc, & pulveratum miſce cum argento vivo ex Cinnabari reducto. Sublima. Si primâ vice non ſublimatur, remiſce omnia, & denuò ſublima. Ita duo venena deſtruunt ſe mutuò fitque ſalutaris medicina. Doſis ejus eſt à granis quatuor ad decem. Et ſic plura reperiuntur etiam medicamina apud *Libavium*, quæ ☿rius ex Cinnabari reductus ingreditur. Aliàs quidem ex obſervatione conſtat, ſeptuagenarium fuiſſe à pueritia Cinnabaris confectorem, qui ad levem contactum vel appenſum ducati illicò illum dealbare potuerit.

Egregia quoque ſunt medicamenta, quæ ex ipſa Cinnabari ſibi Chymici comparant. Sic enim *Joseph. Quercetanus Tetr. graviſſ. capit. affect. cap.* 33. 🜍ur liquat in vaſe terreo vitreato, cuique liquato ſenſim poſtea ☿rium affundit, ad dimidium 🜍ris pondus : ubi omnia probè ſpatulâ ferreâ aut ligneâ agitat & commiſcet, dum ſpatula illa lota calce nigrâ obducatur, quæ tùm ſublimationi, in vaſe congruo, ad ſublimandum poſito, apta eſt. Hâc ratione ☿rius ruber elevatur, qui Minium aut Cinna-

brium refert: ejusque est dosis pondus granorum trium, quatuor, aut quinque, ut fiat medicamentum ad sudores educendos præstantissimum. Ex eodem etiam fieri queunt præcipitata candidissima, cum liquore ejusdem ♀ris, ex uno eodemque fonte hausta, miræque virtutis in purgando & sudores eliciendo, variis morbis, imò vel epilepsiis, apoplexiis, paralysibus opportunissima, si dextrè â Medico administrentur.

Turpethum suum Minerale, seu Aquilam Cœlestem *Paracelsi* & *Phædronis* ita nobis reliquit. Si ☿rius cum spiritibus vitriolicis ipsius ⊖li, aut ⊖lis gemmæ, aut ⊖lis communis, aut ⊖lis petræ præcipitatus fuerit, qui penè omnes eandem naturam possident, eosdemque ferè aut similes effectus producunt, si optimè Philosophico more præparati fuerint: hic ☿rius, si ex Cinnabari artificiosa vel minerali extractus fuerit, supplebit ☿riorum corporum metallicorum defectum, quibus caruerimus. Isque ☿rius præcipitatus ita elegan-ter artificio dulcoratus reddetur, & mansuefactus, ut longè lateque vulgarem viribus ac effectis superet. Ex eo porrò, si cum aqua philosophica (cujus spiritus facilius quàm aquæ fortis, separantur) præcipitatum fecerimus, additis fluxibus ♀ri & ♂tri, omnia perfectè contemperantibus ac edulcantibus, id bonitate alia præcipitata longè superabit. Ast si in eadem aqua philosophica alterum duorum luminarium intinxerimus ac dissolverimus, eidemque aquæ ☿rios Cinnabaris mineralis aut ♁nii seorsim immerserimus ac solverimus, cum minore elegantis reguli stellati portione addita: omnibus deîn rectè permixtis & obumbratis, si crebris cohobationibus ac reverberationibus

exer-

exerceantur, & ex arte edulcorentur, indè Turpethum Minerale nascetur, vel Aquila Cœlestis *Paracelsi* & *Phædronis:* quod Turpethum trium, quatuor, quinque aut sex granorum pondere vino infusum, exhibitâ ejus colaturâ, admirandos effectus operatur, leni tamen & facili nec molestâ evacuatione corpus exercens. Et ne eorundem granorum pereat vis, novæ subindè infusiones iterari & propinari commodè possunt. Atque hoc præstantissimum, nec satis unquam laudandum remedium est, adversus omnis generis lues, epilepsias, paralyses, nec non hydropes, sicuti testatur *Paracelsus tom.* 5. *pag.* 295. Arcanam siquidem vim habet auferendi aquositates hydropicas, quod nec colocynthis, hermodactyli, esula & turbith præstare possunt; hæc enim poros non ingrediuntur, ut ☿rius facit.

Cinnabarin suam præcipitatam ita describit *Andr. Libavius Apocalyps. part.* 1. *cap.* 4. Cinnabaris Officinarum uncia una conteratur cum Salis duabus drachmis. Missis in cucurbitam affunde Spiritus acidi ♀ris uncias tres. Digere in cinere calente per triduum. Tandem aucto igni humiditas exspiret, & massa alba, quæ relinquitur, edulcoretur crebris lotionibus. Dantur grana quatuor, quinque aut sex in morbo venereo. Plura videantur apud *Eundem in hoc capite* 4. & 7.

Ex sulphure, argento vivo & regulo ♁nii videtur panaceam suam cudisse *Amwaldus*. Potest vi ignium ex Cinnabari liquor proflari, qui multum queat in morbis contumacissimis, præsertim addito ♁nio. Deindè repetitis sublimationibus acquirit Cinnabaris vim sudorificam, attenuatâ ejus substantiâ, quam in crassitie priore non habebat. Addit *Quercetanus l. c.* ex eadem reduci angentum

vivum, post septimam nimirum sublimationem. Id si præcipitetur spiritu acido ♀ris, in pulverem album abit, qui est sudorificum præclarum. Cinnabaris macerata prius oleo ♀ri, deindè spiritu vini abluta, & in subtilissimum pulverem detrita, cum succo limoniorum vel citri, vel etiam aliis vehiculis exhiberi potest. Sæpè sublimata Cinnabaris, interjectis reductionibus, & novis ♀ris purgati floribus additis, transit in Solem Philosophorum, cujus ☿rius excellens est remedium. Quod si hunc misceamus cum ☿rio auri, aut argenti, aut martis, & vel præcipitemus, vel aliâ solertiâ exaltemus (possumus enim cum ♀re, vel ⊖ libus sublimare, figere, &c.) vim medicamenti augebimus. Sol iste Rubinus etiam dicitur, quamquam non is sit, qui in majore fit Arcano Lapidis Philosophici. Ex decies præparata Cinnabari *Birellus lib.* 4. *Alchem. cap.* 9. extrahit ignem naturæ; quo nomine vocatur etiam medicamen ex ♂te, aliudque ex ☿rio sublimato, & similibus rebus, præsertim tartaro & sale armoniaco; undè & aurum tantùm empyreuma trahit, ut nulla naphta ei sit comparanda, uti ex *Penoto, Crollio,* & *Quercetano* notum est. Recipe Fl. ♀ris opt. elaborat. partem unam, Argenti vivi, aceto purgati partes duas. Misce de more ac sublima. Sublimato contrito adde dimidium pulveris talci in calcem redacti: contere & in camino reverbera ad albedinem. Massam denuò tere, ac contempera cum calce talci, reverberaque, repetens eundem laborem etiam decimâ vice, semper calcinatum conterendo, & aceto stillatitio irrigando, exsiccandoque & postea sublimando. Ex hoc extrahitur quinta essentia pauca per quintam essentiam vini, ad digiti altitudinem affusam. Digeritur tri-
duò

duò in balneo vaſe clauſo pice, maſtiche & cerâ miſtis. Effusâ priore ſolutione, apponitur nova eſſentia vini, quouſque nihil amplius ſolvatur. Abſtracto ſpiritu vini, ignis naturæ manet in fundo, cujus uſus eſt ad Aurum potabile ex calce ſolis faciendum.

Solertiâ verò Chymicorum variæ Cinnabares parari queunt, rubra nimirum, aurea, rubina, alba, perſpicua, opaca, cœrulea, violacea, ſimplex, compoſita, &c.

Cinnabaris ſimplex hæc quomodo paretur, ex *Autoribus* jam dictis, imprimis verò ex *Andr. Libavio Syntagm. Arcan. Chymic. lib.7. cap.25. Alexio Pedemontano lib.6. de Secret. Joh. Iacob. Weckero de Secret. lib.10. cap.11. Birello Alchym. lib.11. cap.8. & ſeq. Iſaaco Hollando Oper. Mineral. cap. 1. 14. & ſeq. Franciſco Alexandro Vercellenſi Apoll. rad. 10. in ung. ex ſandyc. Albaro Alonſo Barba de Metall. & Mineral. generat. part. 1. cap. 34.* & aliis manifeſtum eſt. Breviter & citò ſimplicem Cinnabarin ſic facit *Theophraſtus Paracelſus in Appendic. ad Chirurg. magn. manual. 1.* Recipe ♀ur, & diſſolve unam partem, & ☿rii partes duas. Pòſt infrigida, & pone in ollam devitreatam, & ſublima, ſed aſcendit primùm fumus purpureus, deindè rubeus; poſtea ceſſa.

Cinnabarin Philoſophicam ad figendum *Andr. Libavius Syntagm. Arcan. Chymic. lib.7. cap.25.* ita efficit. Libram nimirum unam hydrargyri, & quadrantem ♀ris permiſtam ſublimat. Sublimatum reducit per deſcenſum, pereuntibus ferè duabus unciis hydrargyri. Argentum vivum reductum cum novo ♀re ſublimat, iterumque reducit. Fit hoc tertiò; qui ☿rius hinc exit, jam paratus eſt pro

ſublimatione quarta: cum qua cæmentatur argentum granulatum, ut ex eo aurum colligatur, & Cinnabaris ☿rius in argentum mutetur. Qui ☿rius ex tali Cinnabari revocatus in vitam eſt, dicitur figi granula argenti, cum qua prius Cinnabaris fuerit cæmentata, addita & ea granula, quæ fit ex argento ex Cinnabari elicito. Quidam ☿rium aceto mortificatum immiſcent duplo 🜍ri celeri manu, poſtquam eſt eliquatum. Sed hæc pro pictoribus: quamquam ad medicinam quidam commendent.

Præſtantior fit Cinnabaris ex ſimplici ſulphure, duplici mercurio, & tertia parte ſalis armoniaci. Sunt qui non commune 🜍ur accipiunt, ſed ſublimatum prius à calce viva, vitriolo & ſale armoniaco.

Cinnabarin perſpicuam hoc modo facies. Sublima 🜍ur & ☿rium ſecundum artem: ſublimato adde parem ſalem præparatum, vel alumen. Miſce: ſublima: repete hoc, donec pelluceat.

Cinnabaris rubicundiſſima fit ex regulo ♁nii, adjecto 🜍re per ſublimationem. Cum arſenico, ſulphure & croco ♂tis ſublimatur ☿rius, efficiturque Cinnabaris item rubicundiſſima.

Cinnabaris aurea ſic componitur. Ex ☿rio ſublimato rubro extrahitur tinctura per cœleſte menſtruum *Lullii* primùm, deindè per quintam vini eſſentiam tartariſatam. Extracta coagulatur, & ſolvitur deliquio. Solutio coagulatur, adjecto liquore auri, iterumque ſolvitur in fimo, balneo, vel alio modo: vel etiam in forma coagulata aſſervatur, cùm facilè liqueſcat humidis ad inſtar ſalis. Hoc medicamentum ſanat morbos internos graviſſimos, & fundamentum ponit externis quoque facilè curandis, planè doſi exiguâ ex juſculis certis, vel etiam ex vino ſumptum. Ru-

Rubinum Cinnabarinum, ſed in externum duntaxat uſum, ſic deſcripſit *Baſilius Valentinus in Triumpho Antimonii:* Sulphuris trienti eliquato ſuper pruna leni immiſce Argenti vivi ſelibram cum baculo, ut fieri conſuevit in opere Cinnabaris. Maſſæ contritæ admiſce Antimonii pulveriſati & Sandarachæ metallicæ ℥iv. Croci ♂tis ℥ij. Farin. laterit. ℥viij. Sublima ſecundum naturam. Elevabuntur cum Cinnabari cryſtalli, rubinorum orientalium pulchritudine potiores, ſed fugitivi. Hos ſelectos perfunde aceto ſtillatitio acri, & extrahe, ut tincturæ ſolent. Extractiones in balneo deſtilla leniter, ut pulvis remaneat, quem in marmore lævigatum denuò per vini ſpiritum extrahe. Spiritum tinctum digere in balneo blando per menſem (id quod pro circulatione eſt ad exaltandum medicamen) tandemque humore ſubducto per deſtillationem, eſſentiam relictam pulveratam in concham pone, & ſuper aqua in cupa cellæ natare ſinito. Ibi in liquorem diffluet limpidiſſimum, cujus uſus eſt ad ulcera vetera contumacia, quibus illinitur ſaltem. Illita verò teguntur emplaſtro punctorio cum certa ſpe ſanationis.

Fit etiam Cinnabaris cum ſale & ſulphure ſæpius ſublimata ita perſpicua, ut etiam carbunculos orientales provocare poſſit: vel vulgare ſublimatum, adjectâ tincturâ ſolari, vel martiali ſæpè iterum ſublimatur, ut fiat Ciñabaris inſtar carbunculi perſpicui. Hanc quoque inebriatam ſalis armoniaci & tartari liquoribus, diſſolvere per deliquium poſſumus, argenti vivi ſublimati modo. Aliquando, omiſſo ⊖-lo, per ſolum ⊖ lem exaltatur; quo pacto fit & arſenicum artis, ſimiliter eliquabile. Antimonium nihil aliud eſt, quam maſſa cruda ex commi-

miſtione ſulphuris, hydrargyri, ſalis & arſenici. Si itaque per ſe quoque ſublimetur, debebat Cinnabarin puram exhibere, pro qua flores edit. Quando autem abluitur, coquiturque, donec conſiſtentiam Cinnabaris accipiat, nihil aſpectu diſtat à Cinnabari punicea. Rectius autem regulus ejus prioribus duobus miſcetur. Vel macera ♁nium in aqua forti, deſtilla, additoque argento vivo, ſublima. Ut miſceri ſic poſſint, ovorum albumina ſunt adjicienda. Perfectiſſimam autem Cinnabaris confectionem hanc ducimus: Argentum vivum contere cum ſale toſto, donec ſal nigreſcat, & hydrargyrus occultetur. Reduc deſtillatione per retortam in aquam frigidam. Repete id ter quaterve. Poſtea cape ⊖lum præparatum, & ei immiſce ☿rium purgatum. Tere: ſublima primùm lanâ bombycinâ obſtructo orificio, ut abſcedant humidi ſpiritus. Id fit duabus horis. Aliis duabus, aucto igni & vaſe obturato, in collum matratii evehetur ſplendens & albus. Hunc ſerva. Fac & flores 🜍ris arte. Hos eliquato in patina fictili. Sit in promptu ☿rius prius præparatus, inque ſubtilem farinam detritus. Tu move 🜍ur fuſum; miniſter per anguſtiſſimum ſetaceum pulverem inſeminet, donec exactè miſceatur. Vide, ut id fiat cautâ nare. Motus ſeu agitatio fit velociſſimè cum ſpatha lignea; indè evadit ſulphur nigerrimum. Hoc facto, ſeponatur ab igni, ſed ne ceſſes verſare donec frigeſcat, & maſſa nigra evadat, quæ magneſia dicitur. Contere hanc in pulverem ſubtilem, & in matratium immitte, ſublimaque eâ diligentiâ, quâ uſus es prius; id fieri ſolet trium horarum ſpatio, orificio obſtructo cotoneâ lanâ. Indè augetur ignis, & intenditur plus, quàm in ſublimatione priore.

Hæc

Hæc eſt perfecta Cinnabaris ad medicinam, perficiturque ſex horis; quarum tres requirunt humidi ſpiritus, tres ſicci. Eodem modo ſublimatur & arſenicum, auripigmentum aliaque multa. Ex Cinnabari verò ☿rius reduci debet, & præcipitari cum ☿rio auri, ad internos morbos. Ex eadem etiam fit ☿rius vitæ, vel extrahitur eſſentia quinta. Fit & per cæmentum. Argentum vivum miſcetur ſulphure ſ. a. Maſſa contrita irrigatur aquâ albuminum ovorum, ut fiat pulticula; quæ illinitur tabulæ craſſitie duplicis dorſi cultelli. Antequam verò perareſcat, divide in portiones. Sume patinam fictilem plani fundi, immitte ordinem limaturæ chalybis: impone ſegmenta pulticulæ, iterumque limaturam, & ſic deinceps ad ſummum. Patinam luto muni, & claude benè. Colloca in ignem lentum cinerum per octiduum, donec rubeſcat. Poteris & eâ Cinnabari uti, quæ argento vel auro fuit animata, ſeu, ut loquuntur, fixa. Hæc enim proculdubio ad luem veneream eſt accom̃odatiſſima; uti nec aſpernanda eſt, quæ cæmentatur cum cupri aut ferri croco. His verò modis argentum vivum ſic purgatur, ut ad magnum magiſterium & polychreſta medicamenta fiat aptiſſimus.

Cinnabarin albam & fixatam legimus apud *Theophraſtum Paracelſum in Appendic. ad Chirurg. magn. Manual.* I. Recipe Cinnabarin, & alumen calcinatum, & ſal commune præparatum. Tere ſimul cum vino ardenti, & ſicca, & ſublima, & dealbetur & fixetur. Vel: Recipe alumen, tartarum calcinatum, ſal commune, Cinnabrium ana. Quæ omnia ſublimentur quater, & fiet album. Et in forti capitello fit album, ſi bullias per noctem. Item Jupiter extinctus in oleo ♀ri ſepties aut plus, fit bonus, &c. Cin-

Cinnabarin Arſenicalem albam habet *Joh.Bapt. PortaMag.lib.5.cap.*5. ubi pro ſulphure arſenicum & tartarum ſubſtituit, facitq; argenteam Cinnabarin, quæ triplo æri immiſta, argentum reddit optimum, album, dulce & malleabile. Ovo nimirum Cyprio, cujus hemiſphæria exactè claudi poſſint, ne reſpirent, immittantur pares partes arſenici albi, argenti vivi & tartari ſubtiliter comminutorum & contritorum. Globus argillâ perlitus, & reſiccatus, inferatur in prunas, quarum igni modico horis ſex incaleſcat, indè aucto calore excandeſcat totus. In concavo invenietur ſublimatum argenteum.

Cæruleam Cinnabarin deſcribit *Birellus Alchym. lib.* II. *cap.* III. Argenti vivi partes tres, plumbi, ſalis armoniaci ana partes duæ ſublimantur, donec fumus cœruleus exeat, Notandum, quòd bacillo ligneo debeamus foramen obſtruere, eumque retrahere audito ſtrepitu quaſi frangendi vitri. Vel Recipe Mercurii quadrantem, Sulphuris unciam, ſalis armoniaci drachmas tres. Miſce: ſublima. Cum fumus cœruleus apparet, injice aliquid argenti. Quò plus, hoc melius. Cum liquatum eſt, refrigeſcat, teraturque exactè. Si æs adjiciatur, fit violacea.

CAPUT IX.

Differentiam aliqualem inter Cinnabarin Mineralem & Cinnabarin Antimonii ſuſcipit.

ADmodum parum videtur diſtare Cinnabaris mineralis, ſeu Minium naturale à Cinnabari

♁nii.

♁nii. Utraque easdem causas habet materiales: sulphur ♁nii, ex quo Cinnabaris ♁nii cum ☿rio constat, æquè solaris naturæ est ac in Cinnabari nativa & minerali, ac utriusque finis atque usus æqualis est. Differentia saltem aliqualis in eo consistet, quòd Cinnabaris mineralis sit nativa & naturalis; Cinnabaris verò ♁nii factitia & artificialis. Hoc enim modo paratur. ℞. Antimonii *Ungaric.* Mercurii sublimat. ana ℔ i ß. Mista optimè indantur retortulæ vitreæ oblongioris colli. Hâc in arena locatâ, ita, ut tota cooperiatur, etiam superadditis carbonibus ignitis, prodit liquor gummosus, tandem intenditur ignis suppressionis per horas 4. vel ultra, ut retortula tota candescat. Refrigeratis vasis, in fundo retortæ invenientur ♁nii eleganter splendentis ℔ $1\frac{3}{4}$ Adæquatur nonnunquam, sæpè augetur pondus, ob aliquas partes ☿rii currentis, in poros se insinuantis. In collo retortæ Cinnabaris ℥ iij. in recipiente modicum ☿rii currentis. Reliquum erit butyrum glaciosum. Aliàs plerumque Cinnabaris ♁nii, seu 🜓 ♁nii ☿riale, seu glaciale dictum expetitur, ex quo rursus ☿rius vitæ & bezoardicum minerale paratur. Si desideratur ergò Cinnabaris potius, quàm butyrum ♁nii, ignis fortis statim est dandus.

Non hîc audiendus videtur *Anton. Billichius lib.* 1. *obs. ac paradox. Chymic. cap.* 14. qui contra *Barthium* negat, in destillatione prædicta, in collum retortæ elevari Cinnabarin, aut in eo, quod elevatum est, esse Cinnabarin. Incidit in errorem non impetratæ Cinnabaris, quòd collum retortæ, metu congelationis, & indè natæ obstructionis, præsciderit. Tum omne resolvitur in butyrum. Non comparet etiam Cinnabaris in illo retortæ ob errores

rores alios, & tunc in fundo retortæ cum ♁nio manet conglobata, rubrâ vel flavâ induta veste.

Quomodo autem Cinnabaris ♁nii in majori impetretur copia, *P. I. Faber in Univerſ. Sapient. lib.* 4. *arcan.* 5. & *Guerner. Rolfincius in chem. in art. form. redact. lib.* 5. *ſect.* 5. *cap.* 6. propoſuerunt. ℞. Mercur. crud. Mercur. ſublimat. ana ℔j. in cornuta oblongioris colli, debitè antè pulveriſata & probè miſta pellantur in vas recipiens. Quamprimum gummoſus liquor exſtillavit, ab opere ceſſa, igne remoto, ne quid Cinnabaris aſcendat, & in collum retortæ ſublimetur. Pòſt ℞. Capit. mort. in retorta reſid. Mercur. ſublimat. ana q. ſ. Ad examen bilancis pondus libretur ex æquo in nova retorta, quæ collum habet oblongius & amplius capaciuſque, ut Cinnabaris habeat locum ſpatioſum, primùm igne lento, pòſt intenſiori, demum ſuppreſſorio, contentum ♁nii corpus ſublimabitur in collum in majori copia. Verùm enim verò, niſi hæc cautela obſervetur de diverſa ♁nii ſpecie, quam Nobiliſſ. *Robertus à Boyle in Tentam, Phyſiologic. p.* 77. communicavit, non voto ſemper reſpondebit. Nam ſi ♁nium magis ☿riale & ad naturam ſolarem accedens fuerit; id quod arguunt nitentes in eo radii, minus Cinnabaris ſuppeditabit; ſecus autem, ſi magis ♀reum, ſed auro, quod priorem commendat, deſtitutum. Facilè tamen, nec in minima copia, ex ♁nii ♀rei crudi & ſublimati anatica portione ex ℔j. ad tres vel quatuor unciæ haberi poſſunt, citra ⊛ repetitas cum novo ☿rio ſublimato deſtillationes, ſi ignis ſaltem non ſtatim fortis detur, ſed moderatus, tantùm continuus citra ſuppreſſionem. Poſtea ſaltem crebrior inſtituenda rectificatio per duo inverſa vaſa ſublimatoria fictilia, ut ſocrias omnes depo-

deponat. Et præstantissimum ac tutissimum medicamentum ☿riale cum bezoardico minerali, vel etiam antimonio diaphoretico miscendum, ad vim illorum diaphoreticam ac sedativam exaltandam.

Et sic Chymici, non contenti factitia vulgari, illâ maximam partem Seplasiariis & pictoribus relictâ, ex ♁nio cum ☿rio ♎to ana per retortam, non præcisi colli, igne debitè adhibito, Cinnabarin elegantissimam ♁niatam producunt. Alii pro indubitato axiomate supponentes, omne dissolvens, seu agens, pondere debere excellere & superare dissolvendum, ad partem j. ♁nii recipiunt partes tres ☿rii ♎ti. Confer. *Febur. Traitt. de la Chym. part. 2. pag.* 1016.

De Cinnabari hac ♁nii curiosè hic cum Excell. *Georg. Wolffg. Wedelio, Miscell. Curios. Germanic. Ann. 3. obs.* 105. quærimus, undè nam proveniat? Respondemus hîc iterum cum Curiosissimo *Wedelio l. c.* quod, sicuti ex ☿rio & 🜍re fit Cinnabaris vulgaris, ita ex 🜍re ♁nii & ☿rio sublimato fiat hæc ipsa Cinnabaris ♁nii. Hoc probatu facillimum erit 1. *à priori*, cùm in ♁nio 🜍ur maximè abundet, ut quibusvis lixiviosis ferè totum in 🜍ur abire possit, in ☿rio verò sublimato adsint spiritus salini ⊕-li, qui evolutionem 🜍ris promovent, quemadmodum solus spiritus ⊕-li ab ♁nio abstractus, 🜍ur extrahit. Cum itaque vi ignis primùm ⊖ lia hæc cum parte florum ♁nii in butyrum sunt resoluta, panditur interim 🜍ur ♁nii, quod cum parte ☿riali dulce in collum retortæ sublimatur & attollitur; undè rectè dici potest, quod Cinnabaris ♁nii nihil aliud sit, quàm ☿rius ♎tus dulcis, 🜍re, seu tincturâ ♁nii embryonatus 2. *a posteriori*. In quod enim quid resolvitur, ex illo constat, jam verò Cinnabaris ♁nii coctione cum lixiviosis, testibus *Joh. Hartmanno in*

not. ad Crollium & *Joh. Schrodero Pharm. Medico Chymic.lib.3.cap.*17. fatiſcit in ☿rium currentem, & 🜍ur♁nii puriſſimum; ubi 🜍ur iſtud duplex eſſe notamus: alterum purum, verum & genuinum; alterum impurũ. Illud dicto modo conſit, coquendo nempè Cinnabarin ♁nii cum lixivio fortiſſimo, ubi ſeceſſione factâ, ☿rius in fundum ſubſidet currens, 🜍ur verò vel ſenſim ſenſimque ſponte ſuâ decidit, vel acidis præcipitatur, & hoc ſudoriferum eſt. Et ſimili propemodum proceſſu 🜍ur ex Cinnabari nativa ſeparatur, ſi ſcilicet illa cum ⊖lis ♀ri anatica proportione miſceatur, retortæ terreæ firmæ indatur, & igne l.a. propellatur ☿rius in vas recipiens, cui aqua frigida ſit infuſa. Hinc ☠, quod in retorta remanſit, coquitur cum aquæ q. ſ. & inſtillato ✕ præcipitatur 🜍ur ſubtile, quod debet edulcorari, exſiccari & pro uſu ſervari. Quæ ſi penitius conſiderentur, altius iri poteſt, & medicamenta ſelectiſſima plura ex eodem fundamento parari geſtiunt. Alterum 🜍ur ♁nii impurum eſt, atque cum ♀ro in croci metallorum præparatione, aliiſque lixivioſis & ſalinis ſub titulo 🜍ris ☉rati ♁nii diaphoretici præparatur. Hoc omnibus, etiam lixivioſis, imprimis etiam lixivio Saponariorum auſcultat, quo cum in copia ſine magnis ſumptibus parari poteſt.

Ut autem veritas magis pateret, eandem Cinnabarin ♁nii ex 🜍re ejuſdem paravit Excell. *Wedelius*, recipiendo 🜍ur ♁nii cum lixivio Saponar. fact. ℥iij. ☿rii ſublimati ℥iv. Pulveriſata & mixta in mortario lapideo cum ſpatula lignea, indita ſunt retortæ anguſtioris orificii, datuſque ignis κάτω in principio levior, hinc ſenſim auctus, donec tandem omnia (attamen ſine igne ſuppreſſionis) canduerint.

rint. Primùm exiit butyrum, aliquo modo empyreumaticum, hînc ſe oſtendit Cinnabaris, anticâ parte colli retortæ, præcedente, ut ſolet, quaſi iridis ſplendore. Collectæ ſunt Cinnabaris ferè ℥j. cum ☿rii vivi circiter tantundem. Maſſæ in retorta reſiduæ fuit ℥ß. ʒiij. reliquum conceſſit in butyrum. Cinnabaris hæc fuit elegantiſſima, nullius rectificationis indiga.

Huic aſſerto videtur quidem obſtare, quod objici poteſt & inferri, Cinnabarin ♁nii de ♁nio parum vel nihil participare, eò quòd in 🜎 à deſtillatione butyri & Cinnabaris, ferè tantum ♁nii lateat, quantum fuit receptum pondus ſtriis ſplendentibus conſpicuum. Sed reſponderi huic dubio per inſtantiam facilè poteſt: Si ♁nium cum lixivioſis coquitur, 🜍ur in copia elicitur, nihilominus tantundem ferè ♁nii in eoſdem uſus coquendi ſæpius remanet. Deindè ponderis decedentis momentum compenſatur ab irrepentibus ☿rialibus gravibus atomis & miculis, & hînc ſplendens etiam in fundo reſtitat ♁nium, quia partes ſalinæ non potuerunt ♁nium ceu menſtruo plenario ſolvere omninò. Et ſicut inferri non poteſt: pondus ♁nii ferè manet integrum; ergo ☿rius vitæ, qui è butyro præcipitatur, non eſt ♁nialis proſapiæ; ita nec concludi ex eodem fundamento poteſt, Cinnabarin eſſe ſolùm ☿rialis genii, nec de ♁nio participare.

Nec magni *Sennerti* authoritas obſtat, qui *lib. de conſenſ. & diſſenſ. Chymic. cum Ariſtotelic. cap.* 19. ita ſcribit: *Cinnabarin ♁nii nonnulli pro 🜍re ♁nii habent, ſed falsò, atq; aliud me docuit experientia. Cum enim Cinnabarin illam ſublimare vellem, nec ex voto res ſuccederet, Cinnabaris illa in catillo fuſa, ipſiſſi-*

mum ♄nium mihi iterum exhibuit. Verùm videtur ipſe ſibi contradicere, dum mixtam eſſe eandem ex ☿rio & ♄nio manifeſtè paulò antè conceſſit. Notamus autem : quodſi urgeatur Cinnabaris hæc ♄nii igne forti, ☿rius, ignis impatiens, avolat, 🜍ur verò comburitur, terreſtribus particulis relictis; quæ ſi urgeantur igne, in vitrum nonnunquam abeunt. Itaque probabile eſt, etiam illud in *B. Sennerti* experimento ſupradicto contigiſſe. Quin ipſum 🜍ur ♄nii auratum additis aliis tincturâ ſuâ exui facilè poteſt. Ita cum illud aliquando cum aquila Chymica, ſale armoniaco ſublimaret Excellentiſſ. *Wedelius*, pauci aſcenderunt flores crocei, maxima verò pars in fundo cucurbitæ remanſit, craſſamento nigro, inſtar ♄nii regenerati.

Ex hiſce liquet, Cinnabarin eſſe duplicis naturæ, ☿rialis, quoad majorem quidem partem, & 🜍reæ, quoad minorem, quibus terra quaſi baſin præbet. Ea invicem contemperata, medicamentum faciunt longè nobiliſſimum, non in capitis tantùm affectibus, & potiſſimum in epilepſia & vertigine, quibus vulgò hactenus quaſi unicè deſtinatum fuit, ſed in omnibus etiam ferè morbis, abundantiæ ſeroſæ acri, quæ membranas, nervos, quoquomodo laceſſit, debitis; undè in affectibus pleuriticis, ſcorbuticis, hyſtericis, ſpaſmodicis, arthriticis abundè officium facit. Sic ex Cinnabrio ♄nii, in præparatione ☿rii vitæ elevato, præſtantiſſimum, maximeque inſignem pulverem diaphoreticum parat in epilepſia *Henr. Petræus Noſolog. Harmonic. Dogmatic. & Hermetic. lib.* 1. *diſſertat.* 6. cui magiſterium corallorum & perlarum cum ⊖le cranii humani addit, illumque à granis x. ad grana xvj. exhibet.

Et

Et *Val. Andr. Mollenbroccius tr. de Arthritid. vag. ſcorbutic. cap.*11. Cinnabarin ♁nii in arthritide vaga ſcorbutica debellanda egregiæ eſſe virtutis, ob vim ſuam anodynam ſanguinemque depurandi aſſerit. Verùm hujus virtus (quod maximè notandum) ſi manere debet integra, per partium ejus 🜍rearum & ☿rialium ſeparationem, ut & per acida & alcalia factam inverſionem, deſtrui non debet. Undè ſolius quoque pulveris Cinnabaris ♁nii uſus celeberrimis Medicis & Chymicis admodum familiaris eſt.

Miſcere aliquid hujus Cinnabaris ♁nii nonnullos ait *Dan. Sennertus Inſtitut. Medic. lib.* 5. *part.* 3. *ſect.* 3. *cap.* 17. cum partibus æqualibus magiſt. perlar. corallor. & cran. human. & à granis viij. diaphoretici loco, in convenienti liquore in epilepſia exhibere.

Dignitatem epilepticam & antidinicam hanc Cinnabari ♁niali attribuit etiam *Joh. Hartmannus Prax. Chymiatric. part.* 2. *cap.* 10. ℞. Cinnabar. ♁nii, Mag. perlar. corallor. ana q. v. Miſc. fiat pulvis.

Ejuſmodi Pulveres Cinnabarinos Antimoniales, nec non Tabellas, tales deſcribunt *Guerner. Rolfincius Chym. in art. form. redact. lib.* 5. *ſect.* 5. *cap.* 6. item *Ord. ac Meth. Med. Special. lib.* 7. *ſect.* 1. *cap.* 5. & *Frid. Hoffmannus in Theſauro Pharmaceutico ſect.* 23.

℞. Cinnab. ♁nii, Magiſt. corn. alc. ana ʒij. Elæoſacch. citr. angelic. ana ʒj. Miſc. fiat pulvis. Detur in vitro. S. Hauptſtärckend Pulver.

℞. Cinnab. ♁nii ʒj. Magiſt. corn. alc. ʒiij. corallor. perlar. ana ʒß. Cran. human. præp. ʒj. Miſc. fiat pulvis.

℞. Cinnab. ♁nii ʒij. pulveriſatum in alcool irroretur & miſceatur cum Ol. ſtill. ſuccin. rutæ ana ℈ij. cinamom. roriſmar. ana ℈ß. in mortario vitreo piſtillo vitreo. Pòſt adde Cran. human. ſin. ign. præp. Ungul. alc. præp. ana. ʒj. Foecul. radic. pœon. ʒij. Pulv. radic. ireos Flor. Mag. perlar. corallor. ocul. ♋ ana ʒß. Moſch. ℈j. Ambr. griſ. ℈ß. Elæoſacch. citri q. ſ. ad gratum ſaporem. In mortario agitentur & miſceantur. Add. Fol. ☉ri N. vj. Fiat antidinicum & epilepticum τράγημα.

℞. Cinnab. ♀nii ʒß. Magiſt. corn. alc. cran. human. ana ʒj. corallor. perlar. ocul. ♋ ana ʒß. Fol. ☉ri N. vj. Miſc. fiat pulvis. Detur horis matutinis in jure, pomeridianis in vino *Hiſpanico*.

℞. Cinnab. ♁nii ℈ß. Pulv. radic. poëon. ℈j. Elæoſacch. lil. convall. ʒij. citri ʒj. Miſc. exactè. S. Hauptſtärckend Pulver auff dreymal.

℞. Cinnab. ♁nii Magiſt. ungul. alc. perlar. ana ℈ß. Miſc. fiat pulvis, dividendus in tres partes æquales. S. Pulverlein.

℞. Cran. human. ſtrang. & ſine ign. calcinat. ʒj. Ungul. alc. Viſc. quercin. ana ʒß. Cinnab. ♁nii ℈j. Miſc. fiat pulvis. S. Schlagpulver.

℞. Spec. diambr. diamoſch. dulc. ana ʒj. Cinnab. ♁nii ʒß. Sacch. ad pond. omnium. Miſc. fiat pulvis.

R. Cinnab. ♁nii rectificat. ʒj. Bezoardic. ☉lar. ex ceraunochryſo parat. ℈j. Mag. corallor. perlar. ana ℈ij. Miſc. fiat pulvis. Doſis ejus eſt ad grana viij.

℞. Cinnab. ♁nii ʒj. In alcool redige diligenti trituratione. Adde Magiſter. c. c. alc. ana ʒj perlar. corallor. Succin. præp. ana ʒß. Cran. human. præp. Viſc. quercin præp. ⊖ l. ſtercor. pavon. Ol. ſtill. ſuccin. majoran, ana ℈j. Miſc. fiat pulvis.

℞.

℞. Cinnab. ♁nii opt. rectificat. nativ. *Ungaric.* vel *Armen.* ana ʒß. Smarag. oriental. præp. c. c. sine ign. præp. corn. alc. sin. ign. præp. Visc. corylin. ana ʒj. Misc. fiat pulvis, cujus dosis est à ℈j. ad ʒj.

℞. Pulv. March. ʒij. Off. de corde cervi ʒiß. Cinnab. ♁nii rectificat. nativ. ana ʒj. Misc. fiat pulvis. Dosis est à ℈j. ad ʒj.

℞. Sacch. alb. fin. ℥xj. Solv. in Aq. carfunc. aur. ℥j. majoran. lil. convall. ana q. s. Coque donec spatulâ exceptum & quassatum volet. Radic. doronic. lut. Officinal. ʒj. Visc. quercin. ʒij. Cran. human. præp. Ungul. alc. præp. ana ʒj. Magist. perlar. corallor. ana ʒß. Spec. diambr. diamosch. dulc. diarhod. abb. pleresarch. ana ʒj. Amygdal. dulc. Ambr. incis. Nucl. pin. incis. ana ℥ß. Cinnab. ♁nii Bezoard. lunar. ex electro ana ʒß. Cortic. citri rec. incis. ℥ß. Conserv. fl. poëon. anthos, caryophyll. hortens. rubro-nigr. fl. citri, primul. ver. ana ℥j. Fiant l. a. Tabellæ pondere ℥ß. Inaurentur in apicibus formâ crucis. Dentur in scatula. S. Præservativ-Zucker.

Præterea sicuti ex Cinnabari nativa & minerali, ita quoque ex hac Cinnabari ♁nii ☿rius vivus, currens, sincerus & purus elici potest. Modum egregiè ostendit *Joh. Zwelferus Mantiss. Spagyric. part. 2. cap. 7.* ubi etiam *cap. 8.* ex Cinnabari ♁nii Sulphur ♁nii præstantissimum, & ex eo iterum Diaphoreticum efficacissimum hunc in modum conficit. Cinnabaris ♁nii in pulverem redacta coquatur cum lixivio forti, ex tartaro calcinato, & calce viva, in sartagine ferrea, horis circiter tribus, vel quousque lixivium rubicundo imbuatur colore: tinctum decantetur, aliudque superaffundatur, & coquatur: quod tamdiu continuandum, quousque lixivium colore rubro non amplius imbuatur. Tincturæ

omnes, dum adhuc calent, filtrentur, & in loco frigido quietè postea relinquantur, donec pulvis rubicundus (qui verum ♁nii sulphur) fundum petierit: quod segregatâ aquositate, vel lixivio, per decantationem & filtrum, sæpiusque aquâ recenti affusâ, quousque omnis salsedo ablata sit, exsiccatum ♀ur tandem asservetur: uti & ☿rius vivus, qui in sartagine conspicietur, partim ex ☿rio ♁nii, partim ex sublimato ☿rio originem trahens, seorsim custodiendus est.

Ex hoc Sulphure ♁nii est Diaphoreticum sequens. ℞. Sulph. ♁nii præscripti, Regul. ♁nii ☉lar. ana ℥j. Hæc in pulverem subtilem redacta, probeque mixta, immittantur retortæ vitreæ: quibus superaffundantur Spir. seu Olei ♀ris per campanam facti, vel etiam Spir. ⊕-li dephlegmati ℥iij. Digerantur calore leni septimanâ circiter unâ: postea abstrahatur spiritus totus: qui tamen reaffundendus & abstrahendus; & hoc vel secundâ tertiave vice repetendum est, augendo ultimò ignem, ut retorta horis decem circiter candeat. Massa in fundo relicta, & aquâ rosaceâ sæpius lota, usui asservetur: cui tamen, si lubet Bezoar orient. veri & occident. ana ʒij. circiter admisceri possunt. Sudoriferum præstans est; hînc in morbis venenatis & malignis, ubicunque sudore proliciendo opus, cum emolumento adhibetur.

Sic pariter Cinnabaris ♁nii in collo retortæ, post destillationem butyri, igne suppressionis elevata, rectificata, & ex ea secundum *Hartmannum* ♀ur ♁nii fixum concinnatum, potenter sudorem movent, ad grana v. vj. assumpta. Et Cinnabaris hæc rectificata creditur communiter basis Panacéæ *Anwaldinæ*: dirigentia & exaltantia sunt magisteria coral-

corallorum & perlarum; habita tunc temporis est pro summo arcano; sudorem potenter movet, & infirma viscera roborat. Item ℞. ☉. fulminant. Cryst all. ♄ni & Cinnab. ♁nii rectificat ana q. s. Misc. & philosophicâ putrefactione radicaliter uniantur. Et sic in desperatissimis morbis acquiremus remedium, quod rarenter Medicum deseret. In febribus malignis miranda præstat, pro pueris, ad grana tria aut quatuor, pro adultis autem ad grana octo exhibitum.

CAPUT X.

Differentiam inter Cinnabarin Minerale, seu Minium Naturale & Minium factitium atque Sandycem instituit.

NOn Minium naturale, quod Cinnabaris mineralis est, sed factitium hîc intelligimus; hoc enim à priori multùm distat. Causam siquidem materialem eandem utrumque non habet. Minium naturale namque metallicum est, atque ex fodinis argentariis eruitur; factitium autem utplurimum ex plumbo calcinato paratur; funditur nimirum plumbum, auctoque igni ut olla candeat, continuâ agitatione reducitur in cinerem, seu calcem cineream, & calx illa ♄ni continuâ agitatione reverberatur ulterius, ut rubescat. Ex hac ignis operatione reverberatoria acidum quoddam in flamma esse innotescit, dum Minii pondus superat ♄ni pondus, ex quo illud emerget: v. gr. ♄ni sumantur 100℔, exurantur aridis lignis in Minium, & cum illud in Minium conversum, reperiuntur 110℔; quæritur,

undè Minium acquisiverit ℔x? Hoc corpus scilicet, quod plumbum auxit in flamma, est acidi saporis, idque probat sequens mechanica. Destilla ex retorta vitrea aperto igne, de illo ipso ligno, cum quo plumbum exusseris, & exstillabit liquor acidi saporis, qui extra retortam in flammæ forma plumbum lambit, eique commiscetur & fixatur. Refunde minium in plumbum, & habebis 100℔, ut prius, & reliquæ 10℔ ex acido ex ligno expulso. Hoc autem cum non sit de plumbi natura, cum eo non colliquatur, sed fugit in Gas. Indè decepti fuerunt Autores, statuentes hoc sal, quod *Ióh. Schroderus Pharmacop. Medico-Chymic. lib.3. cap.13.* etiam in plumbo aluminosum pronunciat, in plumbo fuisse per putatitiam incinerationem indè productum, cùm tamen ex acido flammæ productum fuerit, & in plumbo calcinato fixatum. Minium hoc omninò dulcescit etiam, ob acidum scilicet extraneum, à flamma ignis suppeditatum, non ob ⊖l alcalinum cum ♀re mixtum; acidum enim ignis seu flammæ nullum ⊖l alcalinum cum ♀re mixtum ex ♄no exhaurit, si ex ♄no debet Minium elici, quod dulcescit, sed sufficit mera partium in ♄no, figuræ, texturæ, nexus ac situs mutatio ab acido flammæ peracta, undè dulcedo ac rubedo. *Plumbum,* inquit *Robertus Boyle Experim.46. de Colorib. igne solo calcinatum suppeditat istum maximè obvium pulverem rubrum, quem Minium appellamus.* Nec ex particularum inversione, levibus ablatis ♀ribus, sed à solo acido, uti jam dictum, pondus est. Si enim aliqua particularum adest inversio, potius ad qualitatem, quàm quantitatem erit referenda. Quid enim corallis, ignis acori expositis dat ponderis augmentum. In his nulla levium ♀rum est ablatio, nulla

nota-

notabilis particularum inverſio. Paratur ergo Minium ex plumbo calcinato; & hînc calx ♄ni; ☿rius ♄ni præcipitatus, crocus minii, cauda vulpis rubicundi Chymicis dicitur.

Deinde Minii naturalis pars una componens ☿rius eſt, & ex eo etiam ☿rius elicitur; factitium verò licèt parum de ☿rio participet, non tamen ex eo ☿rius extrahi poteſt; ſiquidem Minium iſtud nihil aliud eſt, quàm plumbum, vi ignis ad rubedinem uſque calcinatum & reverberatum, ſicuti ceruſſa plumbi calx eſt altera, vapore aceti prolecta, ad modum, quo ex venere aut cupro vapore vini & racemorum calx cupri, viride æris extrahitur. In cujus autem plumbi calcinati reverberatione cavendum eſt, ne iterum fluat, alioquin in plumbum denuò convertetur. Ex ceruſſa, ut altera plumbi calce, per aceti vapores factâ, paratur etiam Minium. Illud nempe fit ex ceruſſa iu patina ſuper ignem locata & uſta, quæ rudiculâ continuò agitatur, donec colorem Minii acquiſiverit. Ad colorem rubrum inducendum eo pictores utuntur; hînc etiam Cinnabaris, σάνδυκα; aliis φῦκον, ab *Hebraico* phuk, quod ſtibium notat; undè *Latinum* fucus; *Plinio* ſandyce; *Vitruvio* ſandaracha; Cinnaber, or Red-Lead Anglis dicitur. In medicina quoque ejus uſus eſt haud rarus; quod Unguentum Medicamentoſum, & emplaſtra duo egregia apud *Hadr. Mynſichtum Armam. Medico-Chymic. ſect.* 35. *&* 36. quorum unum dicitur Minium coctum, alterum verò emplaſtrum arthriticum, teſtantur.

Quando igitur ex Minio extrahi ☿rium legimus non factitium & artificiale hoc, ſed minerale, à *Dioſcoride* deſcriptum, eſt intelligendum. Quòd enim Minium vocat *Dioſcorides*, poteſt intelligi de Cin-

Cinnabari illa minerali, non de Minio illo, quod vi ignis potius in vitrū vel plumbum reducitur, nunquam verò in ☿rium vertitur, niſi alio methodo, quàm quæ à veteribus tradita eſt, procedatur: quos indè conſtat parum in rerum metallicarū cognitione ac præparationibus fuiſſe verſatos, quorum in hac re ignorantiam ſatis ſuperq; teſtatur ☿rii conſervandi ratio, quam docent: cum dicunt, vitreis vaſculis, plumbeis aut ſtanneis excipi & cuſtodiri hunc debere: ut qui alioquin vaſa alia omnia excedat: cùm tamen nihil magis voret, quàm metalla in duo ſuperius commemorata, terrena vaſa ne minimum quidem arrodens; undè eos inſcitè de illo loquutos eſſe veteres, & citra experientiam, videre eſt. Vid. *Petr. Andr. Matthiolus comm. in lib. 5. Dioſcor. c.* 70. & Joſeph. *Quercet. Tetr. graviſſ. cap. affect. c.* 33.

Tandem, quod manifeſtiſſimum eſt, in Minio naturali argenti vivi ſtriæ ſcintillant; in factitio verò hæ abſunt, nec iſtud in ☿rium mutatur, & color ſaltem rubicundus eſt. Erit ergò inter utrumque differentia conſpicua.

Deinde à Minio naturali, ſeu Cinnabari minerali differt etiam Sandyx, quemadmodum etiam hic multum à Minio factitio diſtare videtur, quamvis ob eximiam ſuam rubedinem *Serapio* Minium illum nuncupaverit. Vox hæc æquivoca eſt; mox enim olus agreſte, mox terram rubeam, mox auripigmentum, &c. ſignificat. Ceruſſam uſtam, donec rufeſcat, inſtar ſandarachæ propriè ſandycem appellat *Matth. Martini.* Lexic. *Philologic. pag.* 3358. *Hæc* enim *ceruſſa*, inquit *Plinius hiſt. nat. lib.* 35. *c.* 6. *Si torreatur æqua parte rubricâ admiſtâ ſandycem facit.* Quamquam animadvertimus, *Virgilium Eclog.* 4. exiſtimaſſe herbam eum eſſe illo verſu:

Spon-

Sponte ſuâ ſandyx paſcentes veſtiet agnos.

Sic ſanè & *Servis in Notis ad Eclog.* 4. per ſandycem intelligit herbam, de qua ſandycinus tingitur color; quam varanam ruſtici dicunt. *Turneb. l.* 15. *c.* 20. Hujus herbæ apud *Plinium* peculiaris laus eſt, quod fatigato Venere corpori ſuccurrat. In Inſula maris rubri naſci dicitur. Videtur autem *Plinius Virgilio* aſſentiri, quod herba ſit; & ut verum fateamur, eſt concinnior ſententia, agnos inter paſcendum, ejus herbæ, quam comedunt, ſucco colorari. Contrà verò tendunt Grammatici recentiores; nec contemnendi; cenſent enim ſandycem eſſe colorem è ſandaracha & rubrica temperatum; quod & *Plinius* retulit. Itaque nihil afferunt, cur contemni authoritas *Plinii* debeat; quæ etſi confirmanda non eſt ullo teſtimonio, indebitus tamen, & non neceſſarius producetur teſtis, ut hoc *Plinium* non eſſe commentum intelligant. Sic enim ſcribit *Heſichius*: Σάνδυξ δένδρον θαμνῶδες οὗ τὸ ἄνθος χροιὰν ἔχει κόκκῳ ἐμφερῆ, ὡς σωσίβιος. Videtur etiam de herba loquutus potius, quàm de pigmento *Gratius*, cum cecinit:

Interdum Lybico ſiccantur ſandyce pinnæ.

Quaſi ea ſtirps in *Libya* proveniat: niſi, ſi quis cenſeat metallum illic fuiſſe, aut officinam, quando in factitiis pigmentis erat. Sed illud alterum de planta verius crediderimus in *Gratio*, ut & in *Vopiſco*, cujus hæc verba ſunt in *Probo*. *Dicitur enim ſandyx Indica talem purpuram facere, ſi curetur.* Herbam eſſe negat *Brodæus Miſcell.* 1. *cap.* 5. nec ſcio, inquit an vocabuli ſandycis olim cum ſcandicis affinitas utrique (*Plinio* & *Virgilio*) aliud agniti fraudi fuerit. Judicium etiam iſtud *Plinii* doctis non placet. Quamvis enim pecoris

coris *Virgilius Eclog.* 4. in eo versu meminerit, herbis vescentis; non propterea tamen sandycis color ad herbam referendus est, nec magis quàm muricis in carmine adiuncto:

Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto.

Est ergò sandyx coloris, non herbæ genus, quod aliqui ex cerussa & rubrica; aliqui ex sandaracha & cerussa; aliqui ex rubrica & sandaracha; aliqui verò ex sola cerussa factum putant. Cæterum *Virgiliani* versus hic sensus est: Ovium pascentium lanæ sponte suâ egregiis coloribus imbuentur, ut novâ tincturâ opus non sit. De hoc ergò sandyce *Georgius Agricola lib. 9. de natura fossil. cap.* 19. rectè sic scripsit: *Ea, quam Græcorum alii σάνδυκα, & Plinius eos sequutus, sandycem appellant, alii φῦκον, quòd similitudinem gerat speciemque fuci. Vitruvius sandaracham, quòd ei colore sit similis, conficitur hoc modo: Patina cava in prunas imponitur, inque eam cerussa friata conjicitur, quæ rudiculis agitatur, usque dum traxerit rufum sandarachæ colorem. Idem: Sandyx* Menninge / *non colore, sed conficiendi ratione differt à Minio secundario. Videtur in voce esse rubedinis significatio.* Confer *Comm Petr. Andr. Matthioli in lib* 5. *Dioscorid. cap.* 63. Sandycem *Jodocus Willichius schol. in Ecclog* 4. *Virgilii* nominat *Germanicè* Sammet in roth & bergroth A sandyce fit sandycinus, σανδύκινος: ut color sandycinus, qui est flammeus.

Cùm ergò sandyx non sit quippiam minerale, sed factitium coloris rubicundi genus, nec ex eo eliciatur ☿rius, nec ejus micas coruscantes habeat, nec in illud mutetur, multum à Minio naturali sanè differt.

C A-

CAPUT XI.

Differentiam inter Cinnabarin Mineralem, seu Minium Naturale & Sandaracham ac Auripigmentum examinat.

De sandaracha & auripigmento diversa admodum est non Philologorum solùm, sed Medicorum etiam, Physicorum Chymicorumque sententia. Sandarachæ, inquit *Plinius hist. nat. lib.* 34. *cap.* 18. *propemodum dicta natura est. Invenitur autem & in aurariis, & in argentariis metallis, melior, quò magis rufa, & quò magis vivus redolens ac pura friabilisque. Valet purgare, sistere, excalfacere, perrodere, &c.* Sandaracham *Idem* etiam *lib.* 35. *c.* 6. *hist. nat.* adulterinam inducit, & ex cerussa factam, non in fornace coctam, cujus color flammeus est; hînc etiam *Vitruvius Architectur. lib.* 7. *cap.* 12. cerussam, cum in fornace coquitur, mutato colore ad ignem incendii, sandaracham fieri scribit. Id autem incendio facto ex casu didicerunt homines: & ea meliorem usum præstat, quàm quæ de metallis per se natâ foditur. Indè conjicere licèt, duplicem esse sandaracham, metallicam & factitiam. Et ab hac voce sandaracha derivatur etiam adjectivum sandarachinus, a, um. Apud *Nævium* color sandarachinus legitur, & merulæ ore sandarachino meminit *Festus*. Est etiam aliud adjectivum sandarachatus, remque significat, cui Sandaracha est admista. Sic sulphur vivum apud *Plinium hist. nat. lib.* 35. *cap.* 15. lendes tollit in palpebris, aceto sandarachato admisto. Apud *Festum* & *Verrium* etiam sandaraca & sandaracum vocatur, Germanis reuschgelb/

gelb / oder Rosgelb / Bergröthe / rother Schwefel / Feuerschwefel / roth Operment dicitur.

Sandaracum *Verrius* genus esse coloris putat, quod Græci sandycem appellant. Est ergò sandaracha succus quidam concretus, ad satietatem rufus, aut parum subluteus, magnam cognationem habens cum auripigmento; quod ἀῤῥενικὸν vel gleba, vel pulvis est: plerumque ♀ur olet per se, magis tamen id olet trita, maximè usta, sicuti videre licet ex *Georg. Agricola in Bermanno c.* 31. & 33. ubi & ipsam ab arsenico distinguit. Sandaracâ, ut porrò *Idem lib.* 3. *de natur. fossil. cap.* 23. asserit, utuntur pictores, utuntur tornatores, cum circum vascula lineas ducunt, utuntur Medici, quòd vim habeat urendi; sed liquoribus resinisque temperata, multis morbis medetur; mulso quidem purulentæ exsecreationi: resina suspiriis: melle raucitati, si lingatur & devoretur: resina veteri tussi, si accensæ vapor per fistulam in os trahatur. Verùm non uno sensu dicitur. Indè *idem Agricola in Rer. Metallic. Interpretat.* sic scribit: *Sandaraca vera,* **Reuschgeel / oder Rosgeel.** *Nam Itali colorem rubrum vocant rossum. Sic Fridericus Imperator dictus est ab eis Barbarossa, quia rubram habebat barbam. Sandaraca non vera in metallis reperta,* **Bergröth.** *Sandaraca factitia apud Vitruvium idem quod sandyx. Sic enim Vitruvius Architectur l.* 7. *c.* 12. *ait: Cerussa in fornace coquitur, mutato colore ad ignis incendium, efficitur sandaracha. Id autem incendio facto ex casu didicerunt homines; & ea multò meliorem usum præstat, quàm quæ de metallis per se nata foditur.* Ergò duplicem agnoscit sandaracham. Et ideò *Philander comm. in hoc cap.* fossitiam sandaracam ait à vulgo arsenicum rubrum vocari: & annotat, non sine

ma-

magna omnium confuſione à *Dioſcoride* & *Galeno* ſandycem appellari; quemadmodum etiam non ſine parva confuſione *Arabes*, aut potius eorum Interpretes ſandaracham noſtrum vernicem appellant, cùm illa medicamentum ſit exitiale, is verò ſalubris, gummi ſcilicet juniperi, quo tuſo liniuntur chartæ, ne bibulæ fiant; dicitur aliàs vernix, quaſi veris ros; vere ſiquidem gummi potiſſimum gignitur, & æſtate perficitur. Eſt & vernicis factitii genus, quo pictores colores illuminant, id eſt, quo coloribus lucem tribuunt. Ille ex gummi juniperi pulviſculo, aloe & oleo nucum juglandium aut lini paratur. Ita ſandaracha in libris *Mauritanorum*, apud quos ſandarax dicitur, juniperi erit gummi, in Græcorum verò libris venenum, ut quæ pota alvum & inteſtina cum inſigni eroſione excruciat. Et ideò quoque *Georgius Agricola in Bermanno cap.* 31. *ait: Arabes ſandaracam cum arſenico confundunt: nec Medici ſolum, ſed & Chymiſtæ; appellant enim arſenicum rubrum, quod vos modò ſandaracam: luteum, quod auripigmentum.* Sicut autem *Latinis* dicitur ſandaracha & ſandaraca, ita *Græcis* etiam σανδαράχη & σανδαράκη. Nomen forſan ducitur à ſandyce ob rubri coloris ſimilitudinem. Finis autem vocis eſſe videtur ex ערקי quod *Arabibus* ſandaraca. Iiſdem ערק ſudare, סבר autem ſuſtentare, ex *Hebr.* סער. Vid. *Theſaur. Latin. Ling. Stephani p.* 1285. *& Lexic. Philologic. Matth. Martini p.* 3356. Sandaracham hanc duplicem facit *Martinus Rulandus Lexic. Chymic. pag.* 89. *&* 90. nativam nimirum & factitiam. Nativam **roſsgelb / oder reuſchgelb** iterum duplicem agnoſcit (1.) noſtram, quæ eſt illa *Plinii* & *Theophraſti*, cùm pulvis ſit & reperiatur in fodinis argentariis. (2.) illam

G *Dioſco-*

Dioscoridis, quæ sulphuris virus redolet, quam nondum invenit. Factitiam, Mennige / apud Chymistas reperiri dicit, cujus speciem pro Minio nostro adulterino habet, quod jam fit ex plumbo, & quod ex cerussa fit, juxta *Vitruvium*, quod *Dioscorides* sandycem vocat. Hisce duabus speciebus, *pag.* 421. duas adhuc addit, (1) imperfectè coctam, bleiche Mennige / & (2) nativam cum auripigmento mixtam, rosgelb mit operment vermischt. Sandaracam ergò nativam hîc metallicum quoddam constituit, quam etiam arsenicum & auripigmentum rubeum, naturâ magis excoctum, rother Schwefel / Feuerschwefel / roth Operment / in secundo gradu caliditatis & siccitatis dicit, sed non est argentum rubrum rude.

Auripigmentum coloris genus est, quod in *Syria* invenitur in summa tellure. De eo *Isidorus lib.* 19. *cap.* 17. ita scribit: *Arsenicum, quod Latini, ob auri colorem, auripigmentum vocant, colligitur in Ponto ex auraria materia, ubi etiam sandaracha. Optimum est, quod in auri colorem transit, purum & fissile, gracili venarum discursu. Quòd verò pallidius aut sandarachæ simile est, deterius judicatur. Est & tertium genus squamosum, quo miscetur aureus color.* Pigmentum in hac voce erit color, quo pingitur. Auripigmentum *Latinis*; harnech *Arabibus*; arsenicum *Græcis*, item auripigmentum ἀρσενικὸν, χρωματικὸν, φίλωθρον, arsenicum luteum, goltgelb Operment / Hüttenrauch dicitur. Quòd pariter duplex statuit *Martinus Rulandus Lexic. Chymic. p.* 89. & 90. nativum, vel factitium. Nativum est duplex. (1) Fissile seu scissile; idque iterum triplex, (1) coloris aurei, idque optimum, (2) pallidius, sandaracæ simile, deterius. Utraque hæc species squamosa

mosa est, atque in laminas dividitur. (3.) Quando aureus color miscetur sandaracæ, illud fissile, siccum purumque est, gracili venarum discursu, (II) glebosum effigie glandis, pallidum, sandaracam colore imitatur. De hisce duobus, de fissili scilicet & gleboso *Dioscorides lib.* 5. *cap.* 80. agit, & illorum adustionem in testa, & quam vim habeant, docet. Estque calidum & siccum in quarto gradu, sive fissile, sive glebosum: citrinum tamen auripigmentum *Avicenna* calidum & siccum in tertio gradu dicit. Factitium Chymistis duplex est, album, cujus *Avicenna* meminit, & flavum. Et hæc duo factitia arsenici nomen solùm retinent, arteque fieri ex sulphure & argento vivo queunt.

Nativum hoc auripigmentum in iisdem fodinis metallicis reperitur, in quibus nascitur sandaraca, ut *Dioscorides l.* 5. *c.* 80. docet. Est crustosum, aureo colore micans. Estque affine quoddam ♀ri, ex simili materia & odore. Estque sterquilinium terrestre, ut ita dicamus, in cavernis terræ natum, quod per longam decoctionem transit in substantiam auripigmenti. Hujus altera species fissilis est in squamas, qualis in *Mysia Hellesponti* nascitur. Altera est pallida glebosa, glandis effigie, colore imitatur sandaracam, quæ defertur ex *Ponto* in *Cappadocia*. Nativum auripigmentum *Arabes* speculari lapidi similem esse dicunt, ad crustas scilicet respicienttes. Verùm lapis specularis ipsam pinguedinem non habet. Miscent autem iidem *Arabes* sandaracam cum arsenico, & confundunt, atque uno nomine, hoc scilicet arsenico, utrumque, sandaracham & auripigmentum censent, solo verò colore distinguunt: nec Medici solùm, sed & Chymistæ, appellant enim arsenicum rubrum, quod nos modò sandaracam: &

arſenicum luteum, quod nos auripigmentum dicimus. Album quoque arſenicum habet *Avicenna*, verùm album cum nunquam reperiatur foſſile, *Avicenna* videtur ad alterum forſitan genus, factitium nimirum reſpexiſſe; quorum unum luteum, alterum album eſt, quæ Chymiſtæ conficiunt, & hodiè ſolo nomine arſenici appellantur. De hiſce ſpeciebus omnibus eleganter ſcripſerunt *Serapio lib.agg.cap. Harnech*, & *Avicenna lib.2.tr.2.cap. de Arſenic.* ubi de bonitate & malitia arſenici multa traduntur. Nam ſublimatum, quod aliàs ⊖ l arſenicale appellatur, interficit. Et album ex illis per ſe interficit. Venena ſunt, ut docet *Dioſcorid.lib.6.c.29.*

Cùm igitur ſandaracha ſit metallicum quid, & terra purpurea, reperiaturque in iiſdem metallis, in quibus auripigmentum eſt: nativum, hæc etiam auripigmenti ſpecies venit cenſenda, per omnia illi ſimilis, odore & ſubſtantiâ, & viribus, excepto colore, ſandaracha enim rubrum & cinnabarinum, vel etiam minùs rufum, & ſubluteum colorem habet; auripigmentum verò citrino eſt colore. Ex hoc auripigmento ſandaracum, quod vulgo hodiè venale proſtat, paratur. Illud nimirum in ollam, cujus os obturatum, conjicitur, & quinque horis in furno coquitur; tùm enim ſandaracæ colorem inſignem acquirit. Pictores & tornatores ejus uſum ſibi vendicant ad pingendum. Confer. *Albarus Alonſus Barba lib. de Metall. & Mineral. part.1.cap.11.*

Ex eadem eſſe materia arſenicum, quâ ſandaraca dicit *Plinius hiſt.nat.lib.34.cap.18.* per arſenicum intelligens auripigmentum. Diſcernere ſtudent Alchymiſtæ arſenicum, hoc auripigmentum & ſandaracam: verùm errant. Unum enim & idem ſunt,

&

& fiunt ex ſulphure & argento vivo debili à natura. Et, ut paucis dicamus: ſandaraca eſt terra metallica, rubea, ſeu purpurea, ſeu ignea, ♀ris virus redolens. Inter auripigmentum interdum rubræ, ſeu flammeæ glebæ reperiuntur. Et ſi acutè quis conſideraret, inveniret forſitan veram in auripigmento illo ſandaracam. Sandaracam in aurariis & argentariis metallis ſcribit inveniri *Plinius l. c.* quæ rufa ſit, quæ virus redoleat, quæ pura & friabilis: jam tale quippiam in multis *Germaniæ* fodinis reperitur non rarò, ſed ♀ris virus non redolet, ut vult *Dioſcorides lib.* 5. *cap.* 81. eſtque quaſi arenula, & *Theophraſtus*, ni fallimur, ſcribit, auripigmentum & ſandaracam eſſe arenam ſeu pulverem. Et poſſit hæc noſtra dici ſandaraca, propter ſimilitudinem coloris, more *Vitruvii*, qui ſandaracam etiam id dicit, quod fit ex ceruſſa; id quod *Dioſcorides* vocat ſandycem. Sandyx autem, ſecundum *Plinium*, aliter fit, ut & Minium noſtrum adulterinum factitium ex plumbo, ſpecies eſt factitiæ ſandaracæ. Deindè hæc noſtra ſandaraca dici poſſit ſandaraca *Plinii*, quæ in fodinis aurariis & argentariis reperitur. Tertiò noſtra ſandaraca poſſit dici ſandaraca *Theophraſti*, quia arenula eſt. An verò habeat virtutes, quas tribuit *Theophraſtus* ſandaracæ ſuæ, nempè quòd coeat cum auripigmento, neſcimus. Color forſitan bonus ex illa fieret, ſi quis periculum faceret. Illam *Dioſcoridis*, quæ ♀ris virus redolet, haud credimus reperiri in noſtris *Germaniæ* fodinis, & diſtant longè noſtra & illa *Dioſcoridis* ſandaraca. Errare quoque maximè videntur, qui ſandaracam gummi eſſe credunt. Imò etiam omnes Officinæ errant, pro ſandaraca, vera metallica, gummi ſeu reſinam juniperi habentes. Eſt & illa

calida ſiccaque ſecundo gradu. Credimus autem errorem hînc ortum, quòd *Arabes* ſandaracem, ſeu vernicem reſinam ſeu gummi juniperi ſimpliciter dicant, & ſandaracam illud metallicum, rubrum auripigmentum, auripigmenti illam ſpeciem dixerint. Contrà *Græci* hoc metallicum ignei coloris vocârunt ſandaracam. Hînc cum audivêre indocti, & legerunt apud *Græcos* ſandaracam, intellexêre mox ſecundum *Arabes* reſinam juniperi, cum metallicum hoc intelligere deberent. Porrò, quoniam reſina illa juniperi ſandarax & vernix dicitur apud *Arabes*, unus error alterum traxit. Quidam indocti mox factitiũ hoc, quod vocamus **Verniß / oder Vernisch /** quo utuntur pictores & alii artifices, quod fit ex oleo lini & gummi hoc, habuêre pro vera ſandaraca metallica; ut ſi ſcriberes: ℞. Sandaracam, illi intellexerunt ſecundum *Arabes*: ℞. Gummi, vel reſinam juniperi, aut vernicem illum artificialem, cum metallicum hoc ſignificatur. In *Germaniæ* noſtræ officinis admodum rarò reperitur ſandaracha metallica. *Græci* propterea habent ſuam ſandaracam metallicam; *Arabes* autem gummi juniperi. Alia ergò ſandaraca eſt *Græcis*, alia *Arabibus*. Et ſandaraca hæc metallica ſemper de auripigmento rubro intelligitur. *Vid. Serapio lib. Agg. cap. Harnech, & Avicenna lib.* 2. *tr.* 2. *cap. de Arſenic.* Sandaracam hanc nativam in Inſula rubri maris *Topazo* naſci, ſed indè ad nos non pervehi ſcribit *Plinius hiſt. nat. lib.* 35. *cap.* 6.

Quoniam verò ſandaracha, vel ſandarax, & vernix, gummi juniperi promiſcuè ac indifferenter in formulis medicamentorum uſurpantur, jam tutò & abſque periculo vocabulum gummi juniperi inſerere licet, ſandaracæ verò non ita; cum *Arabes*, ubi

ubi mentionem faciunt ſandaracæ, gummi juniperi, vel vernicem in ſuis formulis intelligi velint. *Græci* autem contrà, cùm non modo dictum gummi, ſed auripigmentum, præſentiſſimum venenum, ſuis compoſitionibus immiſceant. Ne ergò error committatur, tutius eſt impoſterum, gummi juniperi ſemper gummi juniperi, & auripigmentum ſemper auripigmentum ſcribere.

Ab his ergò ſandaraca nimirum & auripigmento, multum Cinnabaris noſtra mineralis differt. Generantur quidem iſta æque ac Cinnabaris mineralis in fodinis argentariis & aurariis ex ☿rio & 🜍re. Verùm principia hæc, ut in Cinnabari minerali, non ſunt in illis temperata; 🜍ur ☿rium ſuperat, atque lithargyrium illis admiſcetur. Præterea 🜍ur quoque in illis non ſolaris, ſed arſenicalis naturæ eſt: nec ullæ micæ argenti vivi ſcintillantes in iis reperiuntur, nulloque modo illis in ☿rium reductio adſcribi poteſt. Ex Minio naturali contrà, ſive rudi, ſive elaborato argentum vivum conficitur, ut *Plinius* etiam *lib.33.cap.7. hiſtor.nat.* annotavit; quod ex ſandaracha & auripigmento nullo modo fieri poteſt; dum enim Minii vena lavatur, ut poſtea teratur, ſtatim atque humorem hauſerit, pars ipſius in ☿rium mutatur; quod *Georg. Agricola de Re Metallic. dialog.pag.* 450. *& ſeq.* ſe expertum eſſe teſtatur; rurſus hoc ſiccatum atque contritum ad colorem redit.

CAPUT XII.

Differentiam inter Cinnabarin Mineralem, ſeu Minium Naturale & Rubricam Sinopicam atque fabrilem adducit.

MAgna ſanè differentia erit inter Cinnabarin mineralem, ſeu Minium naturale & rubricam *Sinopicam* atque fabrilem, licèt hæc etiam Minium *Sinopicum*, μίλτος Σινωπικῆ vocetur; *Sinopis* enim, à *Sinope* urbe ita dicta, miltum & μίλτος rubricam ſignificat. *Sinopis* verò rubricæ genus eſt; quæ *Sinopica* rubrica terra quoque rubra dicitur, qua utuntur Carpentarii. Et ſic Sinopis color quidam nativus, ſeu rubrica dicitur, quæ primò apud *Sinopen* inventa eſt, de qua *Plinius hiſt nat. l.* 35. *c.* 6. ſcripſit. Hînc Sinopicus adjectivum. Rubricam eam *Sinopicam appellavit Vitruvius Architectur. l.* 7. *c.* 7. de qua *Strabo lib.* 12. ſic ſcribit: *In Cappadocia naſcitur ea, quæ Sinopica rubrica dicitur, omnium optima, quæ cum Iberica decertat. Idcircò Sinopica vocatur, quòd eam mercatores eò deferebãt, priuſquam Epheſiorum emporium tam celebre eſſet.* Eſt autem *Sinope*, teſte *Ptolomæo*, *Aſiæ* minoris urbs in *Paphalagonia*, ad *Pontum Euxinum* ſita. Vid. *Lexic. Philologic. Ambroſ. Calepini & Matth. Martini p.* 3651.

Rubrica autem hæc non ſolùm ex *Sinope*, Cappadociæ urbe, undè nomen invenit, importabatur, ſed etiam alibi, nimirum in *Lemno*, *Africa*, *Ægypto*, *Balearibus* inſulis, imò in ipſa *Germania*, cùm in propriis ſuis venis, tum in aurariis, argentariis, ærariis ferrariiſque metallis, calore terræ aut ſolis nata,

nata, reperiebatur, & *Sinopica*, reliquis præferebatur. Dicitur aliàs etiam lepnia, *Arabibus* Mogar, ſive Magra, *Hiſpanis* Almagra, *Latinis Sinopida.*

Eam eligit *Dioſcorides lib.* 5. *cap.* 71. quæ gravis, denſa, jecinoris colore, non calculoſa, ſibi concolor, & copioſè, cum diluitur, ſe diffundens. Deindè docet etiam *Dioſcorides*, quo in loco effodiatur, & unde cognomentum habeat: nempè, uti dictum, à *Sinope* urbe, in qua vendebatur olim, vel per quam ferebatur. Inventa primum in *Ponto*, ut refert *Plinius l.* 35. *c.* 6. *hiſt. nat.* Talis rubrica *Sinopica* glebarum modo è *Byzantio* adfertur *Venetias*, quamvis raròò: interdum ex eadem urbe adferuntur paſtilli, coloris ferè fulvi, literis *Turcicis* ſignati, quos ob id Materialiſtæ terra mſigillatam appellant. Sic olim *Lemnia* terra imagine capræ ſignabatur, quoniam illi admiſcebatur ſanguis hircinus, quo ſe *Galenus* contulit, ut videret quantũ illi terræ ſanguinis hircini admiſceretur. Dicebantur autem illi paſtilli ſignati ſphragida ægos, ſigillum capræ. Certè *Lemnus* Inſula, in qua fodiebatur illa terra, non longè abeſt à *Thracia*, & in eam *Turca* imperium etiam habet; quare facilè *Byzantium* portari poſſit; quòd ſi color talium paſtillorum, qui adferuntur è *Byzantio*, minùs quàm debet, rubricæ reſpondet, cauſa forſitan eſt, quòd, cum terra diluitur, ut in paſtillos cogatur, nonnihil mutetur. Deindè jam profundius foditur, atque ita minus calore aduritur.

Ad peſtem curandam tales paſtillos *Turcæ* magni æſtimant. Maximam etiam vim peſtis curandæ *Arabes* adſcribunt glebæ *Armeniacæ*, ut videre quoque apud *Galenum* eſt, qui eam pallidam tradit. Illa ſanè non multum terræ huic ſigillatæ diſſimilis eſt, niſi quòd *Armeniacæ* terræ ſigillum nuſquam

impreſſum legatur. Terra autem iſta in paſtillos redacta, literisq; *Turcicis* ſignata, an ſit rubrica *Sinopica* diluta, an terra *Lemnia*, an *Armeniaca*, non magni referre putamus, cùm eaſdem vires omnium talium habeat. *Byzantii* inquirendum eſſet, an è *Lemno*, an ex *Armenia* adveheretur, an è *Sinope*, in Thraciam deportaretur. Olim hoc genus rubricæ peculiare proculdubio fuit, hodiè verò propter *Turcarum* rabiem non adeò adfertur. Cæterum *Sinopidis* illius *Plinius* l.c. tres facit ſpecies, rubram, minus rubentem, & inter has mediam. Confer. *Serapio lib. Agg. cap. Mezgred*, ubi & ſpecies ejus enumerantur, & *Paulus Ægineta l. 7. de Rubric. Sinopic.*

Rubricæ hujus ſpecies eſt, ſicuti diximus, Lemnia terra, Lemnium minium, colore minio proximum, item minii gleba. Dicitur autem *Lemnia* terra, quia ex *Lemno* adferebatur. Terram ſigillatam & lutum ſigillatum *Avicenna* dixit, quia à Sacerdotibus *Dianæ* ſignabatur imagine *Dianæ*, in cujus tutela erat: vel capræ, quæ caprino ſanguine miſcebatur; undè & ſphragida ægos, id eſt, ſigillum capræ nominabant. Huc ſe *Galenus* contulit, ut videret quantum hircini ſanguinis illi terræ admiſceretur, ut indè conjiceret, quæ illi vis ineſſet, & quare tam magni ac mirabilis effectus in medelis eſſet.

Nos veram terram *Lemniam* vix, ut credimus, habemus, propter *Turcæ* rabiem, qui imperium in *Lemnum* habet, licèt illinc in *Thraciam* & *Byzantium* facilè portari poſſit. Pro illa quidam hodiè cretâ figulinâ ſignatâ utuntur. Circulatores nonnulli nequam fingunt, in *Italia* ſe de proſapia eſſe divi, neſcimus, cujus *Pauli*, & hominibus fictitium quiddam vendunt pro *Lemnia* terra contra venena per-

perniciosa pro antidoto. Ejus terræ fodinas *Turcarum* Imperator nunc tenet; & misit sæpè cum Legatis *Germanorum* Imperatori pro magno secreto, cum adversus venena & pestem præsens sit antidotum. Eam nasci tradit *Dioscorides l.* 5. *cap.* 13. in *Lemno*, in cuniculoso specu, palustri loco. Idem & alii testantur, in quibusdam nimirum montibus *Lemni*, aut circa radices montium, præcipuè circa illum montem, in quem delapsus *Vulcanus* teste *Galeno*. Primùm, dicit illam effossam in speluncis *Plinius hist. nat. lib.* 35. *cap.* 6. quæ saxis adhæserit, excellentem: & quòd glebis suus color extra sit maculosus. Vid. & *Serapio lib. Agg. Theumacens. Paulus Ægineta & Avicenna de terr. sigillat. Nicander in Theriac. inter antidota contra morsus lethales.* Hanc calcem odoriferam, & terram argentariam & *Saracenicam* vocat *Platearius*. Pro terra *Lemnia* nunc vendi cretam figulinam signatam nos jam diximus: & facilè terram *Lemniam* ex creta sophisticari ipse *Platearius* monet. Terram hanc *Lemniam* colore Minio esse proximam dicit *Plinius l. c.* Omnes verò pastilli, qui de *Lemnia* terra debuerunt esse, subpallidi aliquantum fuerunt, propter diluitionem forsitan terræ. Deindè, quòd profundius jam fodiatur, atque ita minus calore aduratur. Quoniam verò Deus homines ex terra, & quidem rufa creavit: contrà homo in terram solvitur, & terra illi contra venena & morbos gravissimos pro antidoto est, illám ipsam terram *Lemniam* in temperamento maximè humanæ naturæ conformem esse, facilè nobis est conjicere. Et hæc terra *Lemnia* palmam omnibus præripit, quæ *Constantinopoli* ad nos pervenit. Hujus in locum subit solis axungia in cordis affectibus, vel axungia lunæ in capitis morbis

bis. Usus hujus præcipuus est in peste, febribus malignis, diarrhœa, dysenteria, morsibus animalium venenatorum.

Et hæc fuit rubrica nativa & fossilis, quæ *Sinopica* & terra *Lemnia* dicitur; hanc excipit fabrilis; quæ etiam duplex; utraque *Germanis* dicitur **Rötel/Rötelstein/wie die Zimmerleute und Steinmetzen gebrauchen**; à Græcis μίλτος τεκτονικὴ appellatur. Est enim alia nativa, alia factitia. Nativa *Germanis* propriè dicitur **Berg-rötel.** In multis *Germaniæ* fodinis metallicis ad flumina potissimum reperitur, ubi calore solis aut terræ exuritur & degenerat; quæ cum nimium aduritur, fit illa indurata. Nativam gigni in *Iberia* testatur *Dioscorides lib.* 5. *cap.* 73. versus occidentem, ochrâ exustâ & degenerante in rubricam. De eadem nativa scribit *Plinius lib.*35. *cap.* 6. *hist. nat.* quod in ferrariis metallis reperiatur. Hujus autem iterum aliquot species habemus. Quædam invenitur marmorosa ad fodinas in valle; quædam contra insignis, quæ etiam picturis apta, ut *Plinius l.c.* scribit de illa, quæ in ferrariis metallis reperitur.

Deindè factitia est rubrica fabrilis, *Germanis* **Braunstein** dicta, quæ fit ex ochra usta, ut cum *Theophrasto* & *Dioscoride Georgius Agricola lib.*3. *de ortu & caus. subterran. pag.* 40. & *Cæsius de Mineral. lib.* 2. *sect.* 13. *cap.* 2. testantur. Negligentiâ verò quâdam *Plinius l. c.* hoc invertit, rubricam scilicet fieri ex ochra. Ochram nimirum ex rubrica fieri dicit exusta in ollis novis luto circumlitis. Sed contrarium est verum. Et natura etiam hoc ipsum testatur. Invenitur siquidem ad flumina ochra semifacta rubrica, quæ fieri ochra incipiat. Metamorphosis sanè egregia! Ars à natura fingere didicit ex

ochra

ochra rubricam colore, & non, ut existimat *Plinius* ex rubrica ochram. Factitia rubrica optima fabris est commendanda. Friabilem, non marmoream, natione *Ægyptiacam*, aut *Carthaginensem Dioscorides* laudat. Usus ratione *Fallopius tr. de Metall. & Fossil. cap.* 38. rubricam in tres distinxit species, unam, quâ Medici utuntur, & est *Sinopica* & terra *Lemnia*: altera, quâ utuntur fullones: tertiam, quâ fabri lignarii, & Medici aliquando; pollet enim rubrica fabrilis adstringendi, reprimendi & fluxum sanguinis sistendi facultate; undè & vulgus communiter in dysenteriæ curatione sibi levamen quærit.

Ad hanc spectat etiam rubrica laminata, seu in laminas scissilis, quæ non nisi madefacta lineas ducit rubicundas, & fabris lignariis in *Anglia* in usu est, cujus meminit *Gualt. Charleton. Onomastic. zoic. & lib. de fossil. gener. pag.* 219. ubi simul rubricam ex Insulis *Færoensibus* allatam adducit, de qua *Olaus wormius in Musæo suo pag.* 4. jam scripsit.

Ex quibus dictis differentia inter Cinnabarin mineralem, seu Minium naturale & rubricam *Sinopicam* atque fabrilem sole ipso clarior erit. Utraque ♀re quidem scatet, de ☿rio tamen nihil participat; rubrum etiam utraque habet colorem, nullis autem striis argenteis, vel aureis splendentibus gaudet, nec ulla utriusque in ☿rium transmutationis spes est.

C A-

CAPUT XIII.

Differentiam inter Cinnabarin Mineralem & Argentum rude rubeum, Cuprum & Electrum ventilat.

METalla & mineralia licèt ſint Cinnabaris nativa, argentum rude rubri coloris, cuprum & electrum, cauſis materialibus & colore aliqualem inter ſe affinitatem habeant, ſi tamen doctè & perſpectè eorum naturam indagemus, diſcrepare non parum videbuntur. Quæ enim Cinnabaris mineralis vera ſit natura, partim jam dictum eſt, & adhuc dicetur. Primum, à quo Cinnabaris Mineralis differt, eſt argentum rude rubeumque. Prima namque ſpecies argenti rudis coloris eſt rubei, *Germanis* **roth gülden Ertz** dicta. Apparet carbunculi eſſe genus. Verùm carbunculus refulget acrius, hoc verò argentum rude rubeum languidius. In fodinis autem reperitur, item in vallis, vel aliis etiam in locis, idque variis modis: præſertim tamen triplici modo. Primùm in nigrore quodam lucet: deindè veluti ſcintillæ quædam ſaxi aliquod genus ejus amplectuntur. Tertiò ſolidæ ipſius maſſæ ad ſaxa adhæreſcunt: idque interdum ſimpliciter, aut ſimplici modo. Contrà interdum pro altera ſui parte, quæ prominet in mucronem quaſi pyramidalem, ſeu turbinatum, materiam aliam, quam vena continet, amplectitur: idque in forma quadrata, in modum teſſeræ: interdum in forma ſexangulari, ut adamas: frequentiſſimè conſtat pluribus & inæqualibus angulis, ut iris. Ita natura Geometriam exercuit ſub terræ viſceribus mirabili opificio.

ficio. Poſtremò idem argentum rude rubeum, cœruleo conſperſum, pulcherrimè reperitur, ita ut natura ipſa defeſſa videatur in perficiendis metallis ſe recreâſſe & oblectâſſe talibus coloribus, quos ars ſummo conatu non poſſit aſſequi. Hæc ſpecies fuit prorſus, ut aliæ ferè omnes, incognita *Dioſcoridi*, *Plinio*, imò cunctis veteribus, niſi *Theophraſtus* de primo illo genere ſic loquutus eſſet. Gemma alia eſt colore prunis aſſimilis. Hæc parum amittit de ſuo pondere, dum excoquitur, ut ſciunt illi Cyclopes, metallorum coctores. Deindè notandum & hoc, quòd ex illo genere conficiatur nobilis color in picturis. Poſſet habere etiam in medicina locum, ſi quis tentaret. Hoc quidam ſandaracham falſiſſimè credunt.

Præterea eſt etiam argentum rude purpureum, quod quoque genus aliquod argenti rudis audit, à *Germanis* braun Ertz appellatum. Hoc *Plinio* & veteribus fuit ignotum; continet verò & hoc non parum argenti. In valle, in fodinis montis *Tarcici* nomine hoc argentum rude demonſtratur.

Eſt autem hoc argentum rude rubri coloris vel pellucidum, vel non pellucidum. In priori numero eſt primùm argentum tale gleboſum, carbunculo, amethyſti zonti, ſimile. Deindè reperitur argentum illud ſex, ſeptem, octo angulos habens, carbunculo ſimile, in pyrite cinereo & ♀re nativo flavo. Tertiò argentum hoc eſt ſpinis echini terreſtris ſimile, in cadmia metallica, quæ cerebri formam habet. Invenitur quartò tale argentum, cujus maſſulæ quaſi è rubinis puriſſimis apparent concretæ. Et quintò datur taliſmodi argentum, cujus maſſæ quaſi è granatis orientalibus pellucidis compactæ videntur. Non pellucidum etiam varium

rium

rium eſt. Reperitur tale, ſeptem angulis conſtans: gleboſum in pyrite aurei coloris, Minio nativo ſimile: in floribus candidis ſexangulis, exteriori cortici caſtaneæ ſimile: in ſilice cinereo: adhærens rudi ſaxo: albicans: in lapide molli candido: in pyrite cinereo: in galena inani: aurum in ſe continens: in rubro nigricans: jecoris colore.

Argentum hoc rude rubeum, ut mineram, *Ioh. Ioach. Beccherus Phyſic. ſubterran. lib. 1. ſect. 6. cap. 7.* Cinnabari minerali adnumerat. Sed ſi partes utriuſque componentes ſagaciter contemplabimur, diverſitatem deprehendemus manifeſtam; quam autem color non efficit, qui utrique idem ferè eſt, ſed inæqualis partium componentium miſcela. In Cinabari minerali partes componentes ſunt ☿rius & 🜍ur potiſſimum; in argento rudi rubeo verò ☿rius, 🜍ur & ⊖ l ⊕-latum. In priori ☿rius & 🜍ur æqualiter miſta, & ita temperata ſunt, ut nec 🜍ur ☿rium, nec ☿rius 🜍ur ſuperet. In poſteriori plus ☿rii quàm 🜍ris adeſt, magiſque ad argenti naturam declinat. Uſus pariter utriuſque diverſus eſt; Cinnabaris uſus cùm in medicina, tùm in mechanicis egregius eſt; argenti verò rudis rubei uſus vix Naturæ accuratioribus indagatoribus notus eſt, præterquam quòd nonnulli hoc ☿rii vivi matrem appellent, & hînc ſibi primam metallorum materiam ſpondeant.

Cuprum metallum eſt imperfectum, durum, ex plurimo 🜍re rubeo, impuro, ⊖ le rubro, & pauco ☿rio citrino, nondum maturis & fixis genitum, colore rubicundo.

Magnam cum argento affinitatem habet, cui utplurimum in mineris conjungitur; ita tamen, ut facilè ab eo per ignem ſeparari poſſit. Comparatur

♀ri

♀ri cœleſti in macrocoſmo, & cum partibus genitalibus in microcoſmo ſympathiam obtinet.

Triplex illud facimus. Nativum primum eſt, quod vel purum putum eſt, à natura ſola in terræ viſceribus perfectum; quale in fodinis ærariis & argentariis reperitur, & effoditur etiam variâ figurâ, ſtriarum ſcilicet, virgularum, globulorum, maſſulæ, &c. Vel rude, in pyrite aut minera ſua exiſtens, &, ut indè extrahatur, excoctione indigens. Quod, ratione coloris, conſiſtentiæ, bonitatis & cocturæ, differentias varias ſortitur. E pyrite ſiquidem, aut lapide ſciſſili eruitur utplurimum.

Deindè arte depuratum eſt; ab argento & ſcoriis omnibus liberatum; quod coloris eſt purpurei, & ſanguinei ad flavedinem tendentis, in laminas fuſum. Aliud æris depurati genus eſt, quod in ſuperficie nigricat.

Tertiò artificiale & compoſitum eſt; quod duplex reperitur: orichalcum & æs album. Primum dicitur orichalcum, ex ære liquato & cadmia, quam imbibit, confectum. Quomodo hoc paretur, docet *Georgius Agricola lib.9. cap.*1. *de Metallor. ortu.* Æris hoc genus durum eſt, malleo tractabile, ac in tenues laminas ductile; quæ felle tinctæ aurum referunt. Coronarium *Plinio lib.*34. *cap.*8. *hiſt.nat.* dicitur, cum Hiſtriones coronis ex eo factis uterentur. Alterum appellatur album æs, quod argentum ita æmulatur, ut flavum aurum à *Græcis* ψευδαργύρειον dictum. Arte conficitur, modo à priori haud diverſo, niſi quod loco cadmiæ ſumant magnetem aut talcum. Alii cum arſenico & nitro idem præſtant.

Cuprum hoc metallum inſalubre reverâ eſt, ſive crudè, ſive ſimpliciter tantùm in ſuum ⊖-lum re-

ſolutum, ſive extractum ſit, mediante ſimplici aliquo menſtruo. Sive enim acetum, ſive vinum, aut qualiſcunque ſuccus alius acidus, vel liquor ſalinus urinoſus, æri affundatur, aut vaſi æneo infundatur, nil aliud, niſi inſalubre ⊖-ium elicitur, quod cyanei coloris eſt, & ab intra adhibitum, ſapore amaro, æruginoſo & nauſeoſo, ſtomachum ipſum cum inteſtinis ſubvertit, ac legitimi veneni mineralis ſymptomata, effectuſque producit, eò quòd externo ejus nexui variæ impuritates metallicæ adhæreant. Artificiosè verò & philoſophicè præparatum cuprum ſuas in medicina meretur laudes, ut non fruſtra Cl. *Helmontius* glorietur, nihil æque victorioſè in humidum agere radicale, atque primum ens cupri.

Colore quidem hoc cuprum Cinnabaris noſtra mineralis æmulatur; aſt re ipsâ planè unum ab altero, ob ſua principia, diverſum eſt. In Cinnabari enim minerali tot principia non reperiuntur, & quæ adſunt, magis ſunt cocta atque matura, quàm in cupro.

Electrum propriè dicitur mixtura duorum vel plurium, ſive mineralium, ſive metallorum. Cum igitur de electro tractant Autores, ad Cinnabarin remittunt Lectorem, non ſine cauſa, cùm maximam habeant affinitatem. Quid aliud, dicunt, eſt Cinnabaris, quàm compoſitio vel mixtura duorum vel plurium, ſive mineralium, ſive metallorum? Sulphur ſolis igitur cum mercurio lunæ philoſophico junctum artificio, cur non electrum, cur non Cinnabaris erit? Sive naturâ, ſive per Chymiam fiat utrumque, partes componentes non differunt. Verùm nos dicimus, omne electrum non eſſe Cinnabarin. Si ex. gr. ex Cupri & Chalybis ana quin-

quinque partibus, Solis & Lunæ ana decem partibus, Stanni & Plumbi ana partibus duabus, Mercurii parte una Electrum *Theophrasti* sit componendum, adest quidem proportio ponderum & metallorum conflandorum, sed ex hisce non fit vera Cinnabaris. Particulariter ergò vera eorum sententia esse potest; non autem universaliter quamvis res subintelligatur affinitatem aliquam suo colore cum Cinnabari habens. Sic compositio vel mixtura duorum mineralium ♁ris & ☿rii: item sulphur solis cum mercurio lunæ philosophico junctum artificio singulari, Cinnabarin exhibet.

CAPUT XIV.

Anthracem, Ammochrysum, Hæmatiten, Hyacinthum, Granatum, Balassum, Carneolum, Corallia rubra, Schistum & Pyriten à Cinnabari Minerali separat.

COlore similitudinem & affinitatem ejusmodi lapides cum Cinnabari minerali habere videntur, qui tamen abhac multis differunt modis, uti ex sequentibus patebit.

Anthrax primùm est, à quo Cinnabaris nativa differt. Rubinus verus, si magnus est & radiantis splendoris, carbunculus, *Græcè* ἄνθραξ propriè dicitur, quia carbonis instar accensi rutilat & micat. *Joh. Schroderus Pharmacop. Chymic. Medic. lib.* 3. *cap.* 5. *Frid. Hoffmannus in Clav. Pharmaceutic. Schroderian. lib.* 3. *cap.* 5. *Gualter. Charleton Onomastic. Zoic. & Mantiss. de Fossil. pag.* 276. Cinna-

barin mineralem seu Minium naturale, das Queckſilber-Ertz / carbunculum vocat *Vitruvius Architectur. lib. 7. cap. 8.* cùm prunæ Minii vena similis sit. Illius hæc sunt verba: *Ingrediar nunc Minii rationes explicare. Id in agris Ephesiorum Cilbianis primùm memoratur esse inventum, cujus & res & ratio satis magnas habet admirationes. Foditur enim gleba, quæ anthrax dicitur, antequam tractationibus ad Minium perveniat, vena uti ferreo magis subruffo colore, habens circa se rubrum pulverem. Cum id foditur, ex plagis ferramentorum, crebras emittit lachrymas argenti vivi, quæ à fossoribus statim colliguntur.*

Ex Minii item gleba, inquiunt *in Lexico Græco-Latino G. Budæus I. Tusanus & R. Constantinus, quæ anthrax dicitur, destillat argentum vivum. Hoc ipsum nativum Minium, cujus perniciosius halitus in fodinis, pulvisque, dum teritur aut politur, in respirando attractus, nunc quidem rarum est: sed quod lethalius est, substituunt Officinæ suum, ut vocant, Cinnabrium; hoc à Chymistis paratur ignis artificio, constatque argento vivo & sulphure ustulatis.*

Verùm enim verò Cinnabrium minerale, seu Minium naturale propriè non est anthrax, sed ob coloris similitudinem ita dicitur. Sic ob coloris similitudinem *Græci* multas res vocârunt anthraces, ut sunt (1.) venâ Minii, quam *Vitruvius* carbunculum dicit. (2.) Hæmatites, cujus *Plinius hist. nat. lib. 36. cap. 20.* meminit. (3.) Gemma illa nobilissima, quam *Plinius lib. 37. cap. 37. hist. nat.* vocat carbunculum. Est & anthracitis appellata in *Thesprotia* fossilis, carbonibus similis. (4.) Terræ genus, cujus rei rusticæ Scriptores mentionem fecerunt, illam esse terram credimus, quam *Saxones* lo-

locis nonnullis effodiunt, in sole siccant, & pro ligno utuntur: illa deindè ad fovendum ignem asservatur, & proculdubio bituminis species est. Saxones vocant Thorff. Estque bitumen, calore solis extra terram exsiccatum, mater proculdubio carbonis lapidei, qui est bitumen induratum calore intra terram; vocant autem terram, forsan, quia sole torrefit. (5.) Est id, quod *Theophrastus* describit, cum inquit: *Quos autem mox carbones vocant in eorum numero, quæ propter usum fodiuntur, habendi terreni sunt. Exuruntur autem & igni accenduntur, quemadmodum carbones. Sunt enim circa Liguriam, ubi & electrum, atque in Elide, quâ itur ad Olympia, ea quæ per montem est via, quibus & ærarii utuntur.* Sic etiam terræ quoddam genus describit *Georgius Agricola de Re Metallic. dialog. pag.*450. *& seq.* calore subterraneo adeò excoctum, ut atrum ac leve sit, perindè ac carbo, attamen pingue, quo fabri ferrarii multis jam annis per totam ferè *Misniam* carbonum loco usi sint; *Germanis* Steinkolen/ quasi λιθάνθρακες, dicitur. Dicit *Theophrastus* γεώδεις, quia ita leves sunt, ut aquæ innatent, quod videtur esse terræ excoctæ & raræ. In agro *Leodiensi* effodiuntur graves, quæ dicuntur λιθώδεις. De hisce *Plinius* nihil habet. *Græci* autem tàm carbones quàm prunas ἄνθρακας appellant, quibus fabri ferrarii & ærarii utuntur.

Ammochryso, seu Aurenio deindè Minii nativi color est, flavescens interdum substantia, arenosa, & quæ aureo pulvere conspergitur. Hujus meminit *Plinius hist. nat. lib.*37. *cap.*11. hisce verbis: *Arenarum similitudo est in Ammochryso, velut auro arenis misto.*

Hæmatites est tertiò, à quo Cinnabaris minera-

lis plurimùm distat. Dicitur is *Germanicè* Blutstein; vel quòd sanguinei coloris sit; vel quòd sanguinem sistendi vi polleat; vel quòd attritus cotibus aquariis, succum sanguineum fundat. Sanguine propriè obscurior est, ac si ferri scobes Minio nativo miscerentur. Mediæ naturæ inter terram, lapidem & metallum esse videtur. Lapis est colore sanguine concreto obscurior, durus, striis ♁nii instar exornatus, glebosus, vim sanguinem sistendi habens. Ejus genera quinque recenset *Plinius hist. nat. lib.*36. *cap.*20. inter quæ tamen quædam potius ad rubricas & Cinnabarin nativam sunt referenda, quàm ad hæmatiten. Quare *Martinus Rulandus Lexic. Chymic. pag.* 285. hæmatiten crustaceum. Cinnabari vel Minio factitio similem: Item hæmatiten *Hercynium*, qui instar Minii factitii intus splendet: & terram rubram, rubricæ fabrili similem, in qua terra in *Misnia* schistos reperitur, adducit. Idem *Plinius lib.*36. *cap.* 20. *hist. nat.* hæmatiten & schiston cognationem habere docet, & hæmatiten discernere venas rubentes, & quòd sit naturâ friabilis. Differt tamen hic ab illo; schistos enim est pallidior & crocei coloris ac friabilis suâpte naturâ fissilis, concreto & alterno cohærentium venarum adhæsu armoniaco sali similis. Ast hæmatites venis rubentibus friabilis est & sanguineus. Naturæ ♂tialis est. Fit hæmatites etiam ex magnete combusto, seu igni artificiali, seu calore terræ. Hînc non est impossibile, ut ubi sit magnes, ibi etiam reperiri hæmatiten. In variis *Germaniæ* locis reperitur, inter rubricas & ferri fodinas, sed præ reliquis commendatur *Hispanicus*; & qui *Compostellâ* adfertur, figuram angulosam, & ferri nigricantis colorem & splendorem habet.

Ha-

Habet vim adſtrictivam glutinantem; unde in hæmoptöe ac omni hæmorrhagia, item pulmonum ulceribus commendatur; in dyſenteria notabilem etiam præſtat energiam. Manu detentus narium ſiſtit hæmorrhagiam, vel fronti etiam applicatus; & tunc cum aq. burſæ paſtoris, plantaginis; ſpermatis ranarum, &c. miſceri poteſt. In nimia uteri hæmorrhagia externè quoque cum aqua ſpermatis ranarum & aceto roſaceo adhiberi poteſt.

A Cinnabari nativa quartò quoque multum Hyacinthus diſtat, ab hyacinthino colore ita dictus, coloreque rutilo & ex flavedine rubenti præditus. Cùm varios etiam habeat coloris ſui gradus, eorum reſpectu variæ ejus conſtituuntur ſpecies. Sunt, qui Minii nativi & ſanguinis bilioſi inſtar rutilent: ſunt, qui colore croceo flaveſcant: ſunt, qui ſuccinum flavum æmulentur, qui viliores ſunt: ſunt, qui album ſuccinum referant, qui viliſſimi habentur. Differt ab amethyſto; fulgur quippè violaceus in amethyſto emicans dilutus eſt in hyacintho, primo aſpectu gratus, evaneſcens, antequam ſatiat, marceſcens celerius nominis ſui flore. Sunt etiam alii orientales; alii *Europæi*. Ad *Iſaram* fluvium, in confinibus *Sileſiæ* & *Bohemiæ*, inveniuntur *Europæi*, ſuntque orientalibus ignobiliores. Orientales mittit *Æthiopia, India, Arabia.*

Hic in frequenti eſt uſu; vim enim habet cordialem alexipharmacam; ſpecificum etiam eſt contra ſpaſmum; & pro amuleto tempore peſtis collo appendi ſolet.

Longè à Cinnabari minerali quintò abeſt etiam Granatus, *Gallis vermeille* (quòd Minii rubedine flagret) A pomo granato nomen habet, & inter rubinos etiam à quibuſdam recenſetur. Eſt autem

gemma dura, & flavedine obſcurè rubens, inſtar ignis, aut Minii nativi, tincturam ſuam in igne non remittens. Gemmam cum dicit *Frid. Hoffmannus* in *Clav. Pharmaceutic. Schroderian. l.3. c.5.* rubeam pellucidam, ſimilem balauſtiis, coloris roſacei, carbunculo obſcuriorem. Speciem carbunculi faciunt eum *Joh. Schroderus Pharmacop. Medic. Chymic. lib. 3. cap. 5. Andr. Baccius de Gemmis pag. 55.* & alii.

Sunt autem alii orientales, alii occidentales. Illi ex *India, Cambaja, Æthiopia* adferuntur. Hi colorum gradibus differunt; reliquis, orientalibus etiam, præferuntur *Bohemici*, ob tincturæ præſtantiam. Reperiuntur quoque in *Norwegia* dodeca laterum, ſed impuriores, venâ talci pleruınque infecti, colore ad nigredinem tendentes, ut eo primum genus orientalium æmulari videantur, naturâ quandoque politi. Vid. *Onomaſtic. Zoic. & Mantiſſ. de Foſſil. Gual. Charletonis pag.* 277. Orientales enim & reliqui vi fortioris ignis liqueſcunt, ac inſtar vitri alicujus coagulantur; hi verò *Bohemici* ignem ſuſtinent fortiſſimum, & in eo neque colorem, neque pondus mutant, nec diffluunt, ſed ſolidi ex ipſis flammis viciſſim emergunt.

Solaris naturæ ſunt; hînc nonnulli 🜍ur ☉lare in ſe habere cenſent. Propterea etiam ſibi perſuadent, ſi hoc 🜍ur elici poſſet, quod metallorum tansmutationem hoc medio perficere vellent. Alii 🜍re hoc ☿rium figere conantur. Verùm omnia ſunt vana. Cordis & cerebri affectibus medentur granati; undè melancholiæ adverſantur, cordis palpitationem, ſanguinis ſpuitionem, &c. ſiſtunt. Veneno quoque reſiſtunt; hînc *Zacutus Luſitanus Hiſtor. Medic. Princip. 51. lib. 4.* putavit, omnes gemmas vi

pol-

pollere bezoardicâ contra peſtem, cùm veniant in plura pretioſa antidota, de quorum uſu ſaluberrimo legi poteſt *Steph. Caſtrenſis de Meteor. Microcoſmic. lib. cap.* 3. quod ipſum utut verum ſit, ſelectus nihilominus eſt habendus.

A Cinnabari minerali ſextò disjunguntur pariter Balaſſius & Carneolus. Balaſſius rubini ſpecies eſt, exiguam & languidam habens rubedinem. Eum *Anſelmus Boetius de Boot Gemm. & Lapid. hiſtor. l.* 2. *c.* 13. matrem aut matricem rubinorum appellat: propterea quòd (ut infans in utero materno ſanguine nutritur) in hac rubinus formetur, alatur ac excreſcat. Confer. *Joh. de Laet de Gemm. & Lapid. l.* 1. *c.* 2. Carneolus, quòd carnis colorem imitetur, ſic dicitur; aliis Sardius appellatur (ab Inſula *Sardinia*, naturâ ſuâ multa tincturarum & purpurarum genera producente; undè olim optimus adferebatur, vel à ſimilitudine à ſardis ſale conditis deſumpta, quarum colorem repræſentet) *Germanis* Carneol. Primus lapis in rationali *Aaronis*; ſanguinis ſubcitrini aut bilioſi, vel loturæ carnis colore ſimilis; ſemiperſpicuâ & obſcurâ quaſi nubeculâ perfuſus; undè ipſum quoque *Anſelm. Boetius de Boot. Gemm. & lapid. hiſtor. lib.* 2. *cap.* 80. ſemiperſpicuum eſſe, & loturæ carnis ſimilem dixit, cùm in corpore ipſius quaſi rubrica aut caro pellucere, ſed offundi obſcurâ nubeculâ videatur. Circa *Sardiniam* laudatiſſimus reperitur; ſecundum locum habet, qui circa *Epyrum*, noſtro ſeculo *Albaniam* appellatam & *Ægyptum* invenitur. Omnibus tamen præfertur, qui in *Babylone Aſſyriorum* naſcitur.

Sanguinem hic undiquaque fluentem peculiari proprietate ſiſtit, vel intus propinato pulvere, vel exterius lapide admoto. Ventri alligatus partum

conſervare dicitur. Geſtatus fertur lætitiam conciliare, audaciam facere, faſcinationes prohibere. Sardium apud antiquos frequenti in uſu fuiſſe aſſerit *Plinius hiſt. nat. lib. 37. cap. 7.*

Corallia rubra ſeptimò ſeparantur admodum à Cinnabari nativa. Hæc frutices ſub aqua marina generatos nominant *Anſelm. Boetius de Boot Gemm. & Lapid. hiſtor. l. 2. c. 153. Petr. Andr. Matthiolus comm. in lib. 5. Dioſcorid. cap. 97. Joh. de Laet. de Lapidib. & Gemm. l. 2. c. 2. Petr. Poterius Pharmacop. Spagyric. lib. 2. cap. 21. Joh. Schroderus Pharmacop. Medic. Chymic. l. 3. c. 6. Joh. Ludovic. Ganſius Corallor. Hiſtor. cap. 2. Thom. Nicolus in lib. de Gemm. part. 3 cap. 37.* & alii. Nos dicimus corallia lapideam ſeu ſaxeam in fruticis ſpeciem concretionem, non caſu, ſed naturæ ordinatione ſub aqua marina generatam ex ſucco lapideſcibili (ſive tincturæ, ſive menſtrui rationem habeat) ſemine petroſo ſpecifico imprægnato. Eorum materia remota aqua eſt, quæ ſeminis petroſi, fluxu maturato coralliorum corpus conſtituentis, figurâ & motu apta reddita fuit, ut ſtabile indè & ſolidum corpus illorum prodeat. Coralliorum productionem *Alexander Achilles in Libro Germanico de Cauſis terræ motûs & mineral.* exhalationibus auri; margaritarum verò argenti vaporibus, qui è terris ſubjectis, iſtarum minerarum feracibus, evehuntur, adſcribit. In cujus rei fidem experimentum adfert de virgula venarum argentiferarum indice, quæ ad uniones vel oſtrea, æque ut argentum, ſe inclinaverit. Hæc utut ſe habeant, certè magna affinitas ratione virtutis cardiacæ auro cum corallis, & reſpectu cerebri, margaritis cum argento eſt.

Erunt ergò Corallia ſaxei frutices, habentes, ut

&

& aliæ gemmæ, vim vegetativam, eò quòd crescant; hînc etiam sæpius instar arbusculæ vidētur. Nascuntur mollia in fundo maris, &, ut arbusculæ, crescunt, vegetabiliq́; vitâ vivunt; a st cum in aërem liberum fuerint producta, licèt magnitudinem & figuram suam retineant, in lapideam concretionem indurescunt, ut non amplius ad vegetabilia, verùm potius ad mineralia reducantur. In pelago igitur germinant, extra ipsum autem perfectam formationem assequuntur. Nec huic corallorum mollium germinationi sub aquis obstat rapidus maris motus; quamvis enim ventorum truculentia in superioribus aquæ partibus libidini eorum expositis, vastos ciere fluxus possit, vehemens tamen illa agitatio in partibus profundioribus, quæ à vertice sunt remotiores, per gradus diminuitur. Confer. Nobiliss. *Robertus à Boyle in Relat. de Fundo Maris sect.* 3. Post eorum extractionem autem durities oritur ab ambientis aëris sale æthereo, sive centrali quod succi illius, lapidifico spiritu turgidi, mollitiem in perfectum saxum convertere aptum natum est; quod tamen corallia in aquis tandem etiam perfectam formationem adepta planè lapidescant, nullum est dubium, invalescente spiritu lapidifico, & indurante eadem, ut perfectissimam suam acquirant substantiam. Habemus simile naturæ exemplum in succino, quod allatam sententiam de corallorum in mari mollitie, & illorum in aëre duritie confirmat. Illud interdum molle ex mari extrahitur, & in aëre induratur. Exempla alia, quæ apud *Gassendum, Boyleum* & alios leguntur, brevitatis ergò tacemus. Vid. *Frid. Hoffmanni Clav. Pharmaceutic. Schroderian. lib.* 3. *cap.* 6.

Corallorum, ratione colorum, variæ sunt differen-

rentiæ; alia enim rubra ſunt, alia nigra, viridia, ſubflava, cinerea, fuſca, alio've mixto colore ornata. Cæteris omnibus præferuntur rubra, quæ hîc ventilamus. Hæc rutilante Cinnabaris mineralis colore ſeſe commendant, & maſculi nomine veniunt. Palleſcentes fœminæ nomen habent. Rubra jam in mari *Tyrrheno* & *Siculo* paſſim reperiuntur, & *Neapolim* adferuntur, ubi poliuntur. Coloris rubri incunabula in corallis prædominantis communiter ex ♀re, tanquam fonte realium omnium colorum deducunt Phyſici & Medici. Confer. *Ath. Kircheri Mund. Subterran. lib. 9. ſect. 3. cap. 6. P. I. Faber in Panchym. lib. 4. cap. 25.* Verùm ad hanc ſententiam brevibus dicimus, reales ac permanentes colores ex corporibus metallicis, v. gr. ☿rio, ♂te, ♄no, &c. extrahi; abſque vel ☿rii, ⊖lis vel ♀ris additione vel ſubtractione, & ex diverſis corporibus, quæ ſingula ſeorſim coloris ſunt expertia, momento temporis colorem valdè ſaturatum generari, imò unum ſæpè colorem in alium transmutari, ut ſtatuere cauſam habeamus ſufficientem, colores nonniſi vel ex naturali, vel merè mechanica texturæ in minutis corporum partibus mutatione, vel à textura, ex coitione diverſi generis corpuſculorum emergente, dependere, adeò ut veri colores planè de novo generari & planè aboleri queant, uti videre licet apud *Renat. Carteſium in Dioptr. cap. 1. §. 8. Anton. Deuſingium in Exam. pulv. ſympathetic. pag. 293. & in Theatr. Natur. Univerſ. part. 1. diſp. 3. quæſt 1. Digbæum de corp. Natural. cap. 31. pag. 349. Robertum à Boyle in Chymiſt. ſceptic. part. 5. pag. 213. & in Tr. de coloribus.* Jam quod colorem corallorum rubrorum concernit, itidem non à ♀re, cujus ne granum quidem ineſt, nec per mechani-

cam

cam ejus ſeparatio à corallis demonſtrari poteſt, deducimus, ſed ex nuda naturali textura diverſarum partium figuræ & illarum coalitione. Quæ textura coralliorum rubrorum ſæpè ab atomis & effluviis ex corpore geſtantium cachecticorũ vel cacochymicorum emanantibus, & in porulos eorum penetrantibus invertitur, ut pallore inficiantur, contrà verò effluvia ex ſanguine hominis ſani exſpirantia rutilantem illorum colorem potius conſervant & adaugent.

Et hæcce corallia rubra non determinatum habent locum, neque rupibus neque ſaxis & petris determinatè adhærent, ſed adnaſcuntur etiam lateribus, oſſibus, tabulis ligneis, ferramentis, quæ cum corallis ſæpius extrahuntur, imò & ex duro delphini corio corallia propullulârunt. Sic *Piſis* Dux *Hetruriæ* in ſuo Rarithecio cranium habet humanum, ex quo corallina planta excreviſſe ſpectatur.

Omnis illorum virtus dependet ab occulto alcali, cujus beneficio acidum præter naturale in maſſa ſanguinea præcipitant: nec dubium, quin ſingulari etiam proprietate ſpirituum vitalium ſubſtantiam confortent, illorumque tenorem conſervent.

Tandem à Cinnabari minerali diſtinguuntur Schiſtus & Pyrites. Schiſtus, *Græcis* λίϑ☉ χιςὸς, lapis ſciſſilis, dictus, friabilis & ſciſſilis eſt; undè nomen habet. Hunc & hæmatiten cognationem habere dicunt *Plinius hiſt. nat. lib. 36. cap. 20. & Salmaſius in Exerc. ad Solinum pag.* 408. & hæmatiten diſcernere venas rubentes, & quòd ſit naturâ friabilis. Differt tamen hic ab illo, quòd Schiſtus ſit pallidior & crocei coloris, ac friabilis, ſuâpte naturâ fiſſilis, concreto & alterno cohærentium

ve-

venarum adhæſu armoniaco ſali ſimilis. Aſt hæmatites venis rubentibus friabilis eſt & ſanguineus : imò naturæ ♂tialis eſt. Crocei hic lapis ſchiſtus coloris eſt, ſi optimus fuerit ; aliàs nigricat, laminas habens tenues, invicem hærentes, ut lapis ſpecularis, ſplendentes & perſpicuas, per quas ſi ſol inſpiciatur, videtur croceus. Talci quædam ſpecies videtur quidem, verùm hâc ratione à talco differt, quòd in rectas laminas ſcindatur; talci verò laminæ flexiles ſunt varioque modo complicatæ. Ex *Sotaco* ſchiſtum anthraciten vocari, naſcique in *Africa* nigrum, attritumque aquariis cotibus, reddere ab ea parte, quæ fuerit à radice, nigrum, ab altera croci colorem utilemque eſſe oculorum medicamentis aſſerit *Plinius* l. c. In *Bohemia* reperitur; *Romæ* in *Vaticano*, ac in *Montacuto* prope *Anglarium*; cujus montis cacumen ex hoc lapide conſtat. *Cæſalpinus lib. 2. de Metall. c.* 58.

Lapidem hunc ſchiſtum talco & ſelenitidi, ſive lapidi ſpeculari valdè affinem facit *Gualt. Charleton Onomaſtic. Zoic. & Mantiſſ. de Foſſil. gener. pag.* 255. album item, perſpicuum fermè in laminas ſibi invicem cohærentes ſciſſilem; eumque reperiri ſcribit in fodinis argenteis *Norwegiæ*, illicque venas argenti ita innaſci, ut purum per ejus corpus ramulis eleganter diſtinctum perreptet.

Et hâc ratione ſchiſtus non croceus ſolùm & niger, ſed albidus quoque, vel potius cinereus erit. In tali lapide fiſſili cinereo conſpici Minium naturale bractearum more, ac interdum etiam in lapide candidiſſimo metallico benè obſervarunt *Georg. Fabricius* apud *Conrad. Geſnerum obſ. de Metall. pag.* 10. & *P. Albinus Chron. Miſn. Metall. tit.* 16. *fol.* 128. Ubi tamen ſchiſtus non eſt ipſum Minium, ſed hoc illi inhæret.

La-

Lapis hic, teſte *Plinio l. c.* & *Dioſcoride lib. 5. cap.* 102. oculorum lachrymis in lacte muliebri proficit, procidenteſque oculos præclarè cohibet.

Pyrites dicitur, vel quod ex eo ignis excutiatur; vel quòd ignei ſit coloris; *Arabibus* marcaſita & Zeg nigrum; aliis lapis luminis & marcaſita cuperoſa; item lapis ærarius appellatur. Hunc propriè pyrimachum dictum putant nonnulli, quod igni repugnet. Nam in ardentes conjectus fornaces, fluit; & ubi ſemel defluxerit in catinum, mox rurſus concreſcit, & dureſcit. In fodinis metallicis ut plurimum reperitur, metallis quandoque permixtus, quandoque iis deſtitutus: & variis figuris luſum naturæ oſtentans. Purus lapis non eſt, ſed aut metalli, aut alterius cujuſdam materiæ quippiam in ſe continet.

Ejus ſpecies variæ recenſentur. Pyrites enim (1) argentei coloris eſt, qui argentum continet & æs, modò ſolum argentum, modò ſolum æs, modò argentum & æs ſimul, modò argentum & plumbum nigrum, modò plura metalla, modò omninò ſterilis reperitur. Pyrites autem ille videtur plus argenti vivi reliquis ſpeciebus habere. (2) Aurei coloris, majoribus conſtans granis. (3) Aureus teſſellatus, ex variarum figurarum politis conſtans teſſulis, nunc majoribus, nunc minoribus, maxima ex parte quadratis. (4) Aureus granulatus, granis conſtans inæqualibus, angularibus, aureis, quibus quiddam cœrulei eſt admixtum. (5) Ex auro & argento miſtus, granis majoribus. (6) Cinereus, cum marmoris albi & griſei fruſtulis interſperſis. (7) Varius, ſolidiori conſtans materiâ, in quo cernere licet flavedinem auri, candorem argenti, rubedinem æris, nigredinem ferri, purpureum præterea, cœleſti-

num-

numque, aliosque colores tantâ varietate inter se mistos, ut naturæ lusum in coloribus miscendis mirari non satis possimus. Vid. *Martini Rulandi Lexic. Chymic. à pag. 393. ad 396. Guil. Iohnsoni Lexic. Chymic. part. 1. pag. 188. 189. & seq. Gualt. Charletonis Onomastic. Zoic. & Mantiss. de Fossil. gener. pag. 243. & 301.*

Pyrites hic silicis species est. Silex autem durissimum genus saxi est, vel marmore durius, extrinsecus leve. *Germanis* dicitur Kiesling / Kieselstein. Ejus differentiæ plurimæ sunt. Alii enim sunt liquabiles, & plerumque foris albi pellucidique, quos *Germani* Flußsteine / weisse Kiesling / Bachsteine vocant. Alii prorsus opaci sunt. Alii prorsus diaphani. Alii ita duri, ut ex iis ignis excutiatur; hinc & pyrites dicuntur, *Germ.* Feuerstein. Alii sunt solares, qui prope aurifodinas *Goldkranachii* & aliis in locis reperiuntur, & quàm optimè medicamentorum præparationibus inserviunt. Alii sunt ♂tiales, qui prope ferri fodinas inveniuntur. Modum novit *Helmontius pag.* 120. §. 95. quo in silices lumen solis transferri potest, solâ silicis præparatione, ut extra solis præsentiam sub densissimis tenebris lumen illud acquisitum aliquantisper permaneat, iterumque hauriatur lumen nova silicis expositione ad solem diurnum, licèt obnubilum. Sicuti de Lapide Phengite idem habet *Robertus à Boyle de systematic. vel cosmic. rerum qualitat. cap.* 8. Existunt sanè in aëre certa quædam subtilia corpuscula, parata & disposita, ut se insinuare queant poris alterius corporis, ita dispositi, ut illorum admittat impressionem vel actionem, inprimis, si cum illis concurrant aliæ nondum observatæ causæ, & stabilitæ in hoc universo leges.

Cùm

Cùm verò pyrites utplurimum de metallis participet, aut metallorum variorum fertilis ſit, aut alterius cujuſdam materiæ quippiam in ſe contineat, ☿rio & 🜍re inprimis præ reliquis gemmarum & lapidum ſpeciebus illum gaudere cenſemus. Et ſic quoque, teſte *Martino Rulando Lexic. Alchem. pag.* 458. quinque 🜍ris ſpecies ex pyrite excoquuntur. Prima ſpecies eſt coloris argenti rudis, rubri pellucidi. Altera eſt coloris argenti vivi. Tertia eſt coloris ſandarachæ nativæ. Quarta ſimilis ☿rio ſublimato & pulveriſato eſt. Quinta colore nigro eſt, ut lapilli nigri, è quibus excoquitur plumbum album.

Vim poſſidet pyrites calefaciendi, ſiccandi, diſcutiendi, digerendi, adeoque emplaſtris digerentibus admiſcetur. Quomodo urendus & lavandus pro medicina, docet *Dioſcorides lib.5.cap.89.*

Multum ergò hoſce lapides à Cinnabari minerali differre ex jam dictis ſatis liquet. Colore quodammodo conveniunt, aſt in aliis multum diſcrepant. Accedit, quòd ex Cinnabari nativa 🜍ur & ☿rius manifeſtò extrahantur, ipſaque in ☿rium reducatur, cùm tamen ex lapidibus hiſce ne granum quidem 🜍ris, ⊖ lis & ☿rii extrahi queat; 🜍ur & ⊖ l, quæ ex iis arte ſpagyricâ eliciuntur, non eſſentialia, ſed ſuppoſititia ſunt. Et quamvis pyrites, metallis turgidus, 🜍ur & ☿rium ſuppeditet, hiſce tamen orbatus nihil eorum exhibet. Et quis unquam etiam hiſce lapidibus argenti vivi micas internitentes vidit?

CAPUT XV.

Cinnabaris Mineralis, seu Minii Naturalis Descriptionem & Naturam tradit.

MInium, ut nostra fert opinio, nihil aliud est *Dioscoridi*, quàm Cinnabaris aliorum *Græcorum*, ut ex verbis ipsius *Dioscoridis* jam adductis colligere licet. Præterea certissimum hujus rei habemus testimonium, quando scripsit *Dioscorides lib.5.cap.69.* Minium in metallis vaporem strangulantem eructare, & hac de causa fossores faciem vesicis obvelare, ut per illas videre possent, & respirantes noxium halitum non attraherent. Id etiam nostris temporibus fossores Minii præstare intelleximus. Lapis ergò est purpureus Cinnabaris mineralis, ad rubedinem declinans, hæmatiti lapidi non admodum absimilis, non insigniter durus, ponderosus tamen, atque impensè gravis tantoque argento vivo plerumque prægnans, ut per sese nullâ ignium vi guttatim exiliat. Cinnabarin mineralem appellat *Gabriel Fallopius tr. de metall. cap.* 38. lapideum illud durum, quod in fodinis argentariis effoditur. Apud *Dan. Sennertum prax. Medic. lib.6. part.6. cap.*18. Cinnabaris nativa est lapis mineræ argenti vivi, atque indè Cinnabaris nativa ac mineralis vocatur. Cinnabarin nativam dicit *Joh. Schroderus Pharm. Medic. Chymic. lib.3. cap.*16. terram mineralem lapidescentem, rubicundam, constantem ex ♀re & ☿rio, cum terrestri materia, instar lapidis, compactis. Lapidem Minii, seu Cinnabarin ex purpura ad ruborem declinare, insigniter esse gravem, argenti vivi hospitem, syncerum

cocci

cocci nitorem habere; secundarii splendorem uliginem in parietibus sentire tradit *Joh. Joach. Beccherus Physic. Subterran. lib. 1. sect. 6. cap. 3.* Et Minium nativum, vel Cinnabrium appellat lapidem fragilem, gravem, rubicundum *Joh. Bapt. Du Hamel lib. 2. de Fossil. cap. 12.*

Minium autem esse lapidem, præclarissimorum Virorum testimoniis confirmari potest. Lapidem nunc Minium, nunc venam Minii *Plinius* nominat. Et, ut videmus, generi lapidis fissilis ita adhæret Cinnabrium, ut innatum videatur. Sic enim inquit *Plinius hist. nat. lib. 33. cap. 6. Est & lapis in iis venis, cujus vomica liquoris æterni argentum vivum appellatur.* Minium hoc lapidem ex *Aristotele* vocat *Joh. Fr. Picus Mirandula lib. 2. de Auro cap. 10.* Anthracem æquivoco lapidis nomine *Vitruvius Architectur. lib. 7. cap. 8.* scribit dici hoc Minium nativum, das Quecksilber-Ertz / neque præter rationem, cum hujus lapidis vena carbonibus accensis assimiletur. Ut magis rei veritas manifestetur *Autoris* verba hoc in loco recensenda censuimus: *Ingrediar nunc Minii rationes explicare; id autem agris Ephesiorum Celbianis primum memoratur esse inventum; cujus & res & ratio satis magnas habet rationes; foditur enim gleba, quæ anthrax dicitur; vena est rubro colore; habens circa se rubicundum pulverem; cum foditur ex ferramentorum plagis, crebras ☿rii lachrymas fundit; quæ à fossoribus statim colliguntur.* Hoc genus à *Plinio hist. nat. lib. 33. cap. 7.* probatur, dum inquit, arenam cocci colorem habere, hanc teri, deinde lavari farinam, & quod subsidat, iterum lavari: differentiam verò ab arte dependere, quoniam alii primâ loturâ Minium faciunt, apud alios id esse dilutius: addit etiam *Plinius*

nius se audivisse Minium sorbis crudis, sanguine caprino atque etiam calce adulterari, & in sincero cocci nitorem esse debere, secundarium autem interdum propter uliginem in parietibus splendorem amittere. Venam hydrargyri, seu lapidem argenti vivi feracem illud Minium appellat *Andr. Libavius Apocalyps. Hermetic. part.* 1. *cap.* 8. Et terram mineralem lapidescentem ipsum vocat *Ioh. Schroderus l. c.* non quòd sit vera terra, sed propter analogiam.

Lapis igitur hic Minii consistentiam compactam & solidam, non impensè quidem duram, ast gravem atque ponderosam: magnitudinem & speciem pomi mediocris: superficiem quodammodo levem, non admodum duram: colorem rubicundissimum, vel etiam hepaticum, micis argenti vivi radiantem: odorem & saporem ferè sulphureum habet.

Venenatæ quoque naturæ Minium hoc est, tùm quia de hydrargyro participat, tùm quia halitus venenatos, ut fossores Minii testantur eructat. Et hînc etiam venenum dicit Minium hoc *Plinius l. c.* & *lib.* 29. *cap.* 1. *hist. nat.* comperit vulgo pro Cinnabari Indica in medicamenta Minium addi inscitiâ nominis, quod esse venenum docuit inter pigmenta. Item perniciosum & venenosum Minium hoc esse monet *Petr. Andr. Matthiolus comm. in cap.* 69. & 70. *lib.* 5. *Dioscor.* Illud propter spiritus ☿riales in venenorum censu habet *Andr. Libavius syntagm. Arcan. Chymic. lib.* 7. *cap.* 25. Inter venena, siquid aliud, debet recenseri Cinnabrium nativum, inquit *Ioh. Bapt. Du Hamel lib.* 2. *de Fossil. cap.* 12. ac nemo, nisi sui prodigus aut vitæ pertæsus, tam perniciosum remedium adhibebit.

Mi-

habemus. In aqua ſtygia ☿rius ſolvitur, calcinatur, metallorum colores induit, hoc ſolùm ab iis diſſidet, quòd ſit fluxilis & fugax; tametſi plumbi fumo, atque ipſo 🜍re induretur. Addimus, in venis auri & argenti, auctore *Plinio*, inveniri, atque è cadmia argentifera , & biſmuto copioſum elici? Omnes ferè morbi, qui foſſores invadunt, ex ☿rio ſcaturiunt. Aquæ etiam, quæ metallorum venas alluunt, argento vivo plerumque inficiuntur; hinc circa fauces multam colligunt pituitam. Quare ☿rius materiam & pondus: 🜍ur tincturam & formam metallis confert; 🜍ur enim ad eorum compoſitionem pertinere Alchymiſtæ ferè omnes conſentiunt. Metalla quippè, præter aurum, omnia comburi poſſunt, & dum excoquuntur, 🜍reum odorem naribus afflant. Nulla vena, dum torretur, non fœtet, & fumum exhalat 🜍reum. Ex omni pyrite, qui lapis eſt metallis prægnans, 🜍ur exſtillatur. Vidit *Albertus Magnus lib. 3. de Mineral.* quòd in monte æris ligna viridia, lapidi æris appoſita, ſtatim cremarentur, propter abundantiam 🜍ris, & pinguedinis de lapide æris egredientis. Confer. *Ioh. Bapt. Du Hamel lib. 2. de Foſſil. cap.* 12. *& Alb. Alonſ. Barba de metallor. & mineral. generat. part.* I. *cap.* 15.

Ex quibus manifeſtè deprehenditur, quòd materia proxima metallorum ſit ☿rius & 🜍ur, non in ſua materia, qui mineræ ſunt diſtinctæ, & ubi illæ reperiuntur, non reperiuntur metalla, ſed in natura alterata & alterante. Proxima enim materia metallorum vapor eſt unctuoſus humidus, ex utroq; principio cauſatus. Oportet enim uno eodemq; tempore ex ambobus ſpiritibus vapores elevari, & ſibi occurrere, & in uno loco, quem natura præparavit,

CAPUT XVI.

Cinnabaris Mineralis, ſeu Minii Naturalis cauſas materiales in genere exponit.

DE metallorum & mineralium cauſis materialibus magnum inter *Ariſtotelicos*, *Carteſianos* & Chymicos eſt diſſidium, quod hodiè noſtrum non facimus. Nos eorum cauſam materialem duplicem conſtituimus, remotam unam, alteram propinquam. Remota eſt aqua graviſſima, ex ☿riali vapore orta; propinqua eſt aqua ☿rialis, manus non madefaciens; quod & teſtatur Divus *Thomas in comm. ſupra lib. 3. Ariſtotel. de meteor.* ſequentibus: *Conſiderandum autem eſt circa principia materialia metallorum, quæ ſunt in duplici differentia; quædam enim ſunt materia remota, ſicut eſt vapor incluſus in locis lapidoſis terræ; alia ſunt autem materia propinqua; & hæc ſunt 🜍ur & ☿rius. Itaque in prædictis locis lapidoſis terræ per virtutem mineralem generatur 🜍ur & ☿rius, deindè ex ipſis generantur diverſa metalla, ſecundum diverſam eorum commixtionem. Undè & ipſi Alchymiſtæ per veram artem Alchymiæ per prædicta principia, vel potius principiata aliquando veram generationem metallorum faciunt.* Quibus verbis Divus *Thomas* materiam metallorum ☿rium, formam verò 🜍ur: hæc duo autem principia propinqua nominat, atque aſſerit, poſſibile eſſe, ut his combinatis metallicolæ etiam arte metalla producere poſſint; ut etiam nos deinceps dicemus.

Rei hujus evidentiam atque veritatem ex metallorum proprietatibus, quæ ☿rio & 🜍ri conveniunt, habe-

Adi ſis *Laur. Venturæ lib. de ratione conficiendi Lapid. Philoſophic. cap.* 3.

Non ſemper autem ad metallorum generationẽ duo hæc principia requiruntur, cùm ex ſolo ☿rio Philoſophorum poſſit fieri metallum. Nunquam enim datur aqua metallorũ ſine 🜍re, quod ſemper in minimis particulis, tanquam in centro ſecum gerit: ſicut nullum datur 🜍ur abſque materia, & taliter longo tempore poteſt ſcintillula hæc 🜍ris latentis in ☿riali aqua excitari, ut partes ☿riales coquat, temperet, atque in metallum, imò planè in Lapidem Philoſophorum efformet.

Quemadmodum igitur naturâ ex 🜍re & ☿rio metalla conſtant: ita quoq; arte ex iis producuntur. Si enim ſemen vegetabile terræ impoſitum (quæ in ollis ante feneſtras ſervari ſolet) atque debito tempore aquâ humectatur ſolique exponitur, non aliter quàm naturaliter creſcit: eodem modo habitis & applicatis quinque requiſitis generationis mineralis, etiam metalla produci poſſunt, perfectiora quidem & fortiora. Ars enim naturam adjurare poteſt, quod in artificiali florum generatione videre licet; adjuvatur autem natura arte quinque horum requiſitorum, ſpermatis nimirum, menſtrui, matricis, ponderis & caloris (de quibus eleganter pro more ſuo *Ioh. Ioach. Beccherus in Oedip. Chymic. coroll.* 1. *ad tit.* 5. ſcripſit) debitâ applicatione.

Ab hiſce metallis cauſis materialibus nonniſi ſecundum magis & minus differunt mineralia. Ex 🜍re & ☿rio hæc quidem etiam conſtant, ſed ſæpius impuriſſimis, neque probè mixtis, & à natura non ſatis concoctis. Deindè differunt à metallis, quòd metalla in igne liqueſcunt, & malleorum percuſſione ductibilia fiunt, mineralia verò, licèt in igne

misceri, & soliditate loci conservari. Nisi enim locus ille solidus esset, exhalarent. Verùm frigiditas loci ipsos jam commixtos condensat & confortat. Sic fit, ut ad se invicem agere ac pati incipiant, & alterare se mutuo, & digerere subtiliando & impura separando, quousque in metalli naturam simul vertantur. Hoc autem fieri minimè potest sine calore ventris terræ cooperante & movente. Qui utique calor causatur à motu & à lumine cœlestium corporum, & per eum virtus eorundem locis mineralibus, ipsisque mineris imprimitur: per quem generatio metallorum diversimodè completur. Vid. Idem *Albarus Alonsus Barba de Metallor. & mineral. generat. part.* 1. *cap.* 18. Hi ergò vapores proxima sunt metallorum elementa, & ideò metalla in ipsa resolvi possunt, tàm per naturam, quàm per artem, sicut ex ipsis sunt genita. Et hæc elementa differunt ab elementis mundi, quæ ex illis sunt composita. Hæc omnia sunt de intentione Philosophorum: & hoc modo intelligitur etiam dictum *Aristotelis in lib.* 4. *meteor.* quòd species metallorum transmutari non possint ad invicem, nisi reducantur ad primam suam materiam. Per materiam ergò primam intelligitur materia, ab omni forma denudata. Non igitur nova forma introducitur, nisi prius corrumpatur, & in generatione rerum est processus de prima forma ad ultimam per multas formas medias. Ergò & in corruptione: quia generatio unius est alterius corruptio. Et sic metalla reducuntur ad primam materiam, quando rediguntur ad illam primam simplicitatem, quam habuerunt elementa eorum in prima compositione: in qua certè fuerunt spiritus & vapores per naturam perfectibiles ad compositi formam.

Adi

derare pro sua coagulatione. Multa etiam ⊖ lia & 🜍ra sunt, per quæ accidentaliter ☿rius coagulatur, cum tamen talia coagulantia ejus naturæ non sint. Tertia causa materialis, seu pars componens, erit terra mineralis lapidescens, de qua in *capite* 19. agemus.

CAPUT XVII.

Causam Cinnabaris Mineralis, seu Minii Naturalis materialem primam, Mercurium nimirum in specie perstringit.

Causa prima materialis, seu pars prima componens nostræ Cinnabaris mineralis est ☿rius. Dicitur aliàs argentum vivum; Græcis ὑδράργυρος, id est, argentum aqueum seu fluidum; *Theophrasto* ἄργυρον χυτὸν; *Aristoteli* ἄργυρον κινητὸν; *Arabibus* zaibar, vel zeibach; *Barbaris* azock, azoth; *Germanis* Queckſilber. Mercurius dicitur ob analogiam, quæ ipsi cum Mercurio, planeta illo cœlesti, intercedit, ratione mobilitatis, omnibus sese associante planetis; tùm ratione varietatis in colore, tùm temperamenti, mobilitatis, &c.

Argentum vivum appellatur, cùm argentum fusum & liquefactum colore æmuletur; vivum verò, quòd loco motum vivere quasi videatur. Hydrargyros dicitur, nomine derivato ex aqua & luna, quòd colore lunam repræsentet, & aquæ instar consistentiâ suâ liquidus & fluidus sit, & nonnisi in alienis terminis contineri possit: sicut ex aqua & quælibet minima ejus particula instar aquæ, sphærica est & rotunda. Mirabilis sanè substantia, mil-

liquefiant, tamen rurſum concreta, non ut metalla, condenſantur, ſed friabilia ſunt, & ictu malleorum non poſſunt extendi, ſed in pulverem rediguntur.

Cum igitur ad mineralia pertineat Cinnabaris nativa, ſeu Minium naturale, etiam ortum ſuum ex ☿rio & 🜍re potiſſimum agnoſcit. In hac enim ☿rius & 🜍ur, non vulgare, verùm ♁nii ☉lare, exquiſitè ſecum invicem miſcentur, & ambo, cum illa rudi materia minerali, ſeu terra minerali lapideſcente, in qua ea domicilium habent, hoc corpus rubrum ac elegans, ſatis ab utroque diſcrepans, conſtituunt. Et hinc *Joh. Hartmannus in Notis ad Baſilic. Chymic. Crollii* pag. 414. Cinnabarin nativam mineram ☿rii ſalutat. Nativum ☿rium, etſi nonnunquam per ſe ipſà naturâ operatrice ſeparatus inveniatur, plerumque tamen è terra minerali, quam Cinnabarin vocant, evocari ſcribit *Ioh. Schroderus Pharm. Medic. Chymic. lib.* 3. *cap.* 15. Cinnabarin nativam pariter *Frid. Hoffmannus meth. med. lib.* 1. *cap.* 11. mineram ☿rii dicit, multum de 🜍re ♁nii ☉lari participantem. Elementa item Cinnabaris in genere duo conſtituit Excell. *Georg. Wolffg. Wedelius Pharmac. lib.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 4. 🜍ur & ☿rium. Sic Cinnabaris nativa eſt minera ☿rii, & deſtillatione per deſcenſum ☿rius indè elicitur, & 🜍ur quoque ejuſdem ſeorſim impetrari poteſt. Hæc arte ſolvuntur, naturâ verò uniuntur; appetit enim ☿rius 🜍ur. Hoc in Cinnabrii artificialis præparatione videre licet, ubi ☿rius 🜍ri unitur, atq; alembicum cũ eo petit; undè Cinnabrium nominatur: eâdem ratione ☿rius in ſublimatione cum ⊕lo & ⊖le ⊖lem attrahit, ejusque ſe veſtit figurâ, atque ſublimatum vocatur. Et hinc clarè liquet ☿rium 🜍ur & ⊖l deſi-

derare

occultè inhærens, impedit, quò minus suscipiat perfectionem naturæ solis. Quòd si hæc terra fuerit amota, tunc nihil impedit: quod sicut luna illuminatur à sole: sic & ☿rius perficitur ab auro. Ut autem ☿rius à natura generatus filius naturæ & fructus menstruæ est: ut autem generatur à Philosopho filius hominis, & fructus efficitur virginis, oportet, ut exaltetur à terra, purgetur ab omni terreitate sua, tunc ascendit in aërem totus, qui vertitur in spiritum. Sic adimpletur dictum Philosophi: Ascendit de terra in cœlum, & sic accipit vim superiorum & inferiorum, & sic naturam terrestrem immundam exuit, & naturam cœlestem induit, in qua mundis gaudet, & immunda amplius omnia horret. Metallorum primam & principalem materiam, humidum nimirum aëris, caliditate mixtum, ☿rium Philosophorum nominat Div. *Leschus tr. 3. de prim. metall. mater.* Hic, ut scribit *Orthelius comm. in Nov. Lum. Chymic. Sendivogii* radiis solis & lunæ in mari Philosophico gubernatur. Ignem corpora comburentem, mortificantem & confringentem: imò spiritum totum igneum, per suam igneitatem solventem & dividentem corpora, ☿rium nuncupat *Lucas Rodargirus de Solut. Philosophic. cap.* 11. Spiritum, seu animam mundi ☿rium hunc Philosophorum appellat *Joh. Collesson* in *Id. perfect. Phil. Hermetic. part.* 1. §. 10. & aquam cœlestem solarem & lunarem *Idem in princip. Phil. & Hermetic. obs.* 18. Mercurium hunc salutat *Guil. Johnsonus Lexic. Chymic. part.* 1. *& part.* 2. spiritum volantem, servum fugitivum, fumum album, corpus album, *Dianam*, fermentum album, coagulum, lumen minus, lunam, matrem lac virgineum, Toxiten, aquam Philosophorum, draconem, aquilam vo-

mille ſe in formas fingit ac refingit, quovis tractetur modo; indè & Protheus dicitur: item ſervus fugitivus, cùm præter omnem ſpem aufugiat. Vomicam liquoris æterni eum vocat *Plinius*.

Hunc conſiderant aliter Philoſophi, aliter Chymici & Medici. Mercurium Philoſophorum appellat *Theob. de Hoghelande lib. de Alchym. difficultate part.* 1. qui in ſe contineat vim ♀ris ſui intrinſeci, quo in argentum & aurum, & poſtea in elixir convertatur. Mercurium Philoſophorum ☿rium abſtruſiſſimum dicit *Gerhardus Dorneus de transmutat.* metallor. *cap.* 6. Aquam metallicam, aut humidum radicale metallicum ☿rium Philoſophorum indigitat *Propugnaculum Alchymic. cap.* 11. *pag.* 21. Mercurium nihil aliud quàm ſpiritum mundi corporeum in ventre terræ factum cenſet *Bernhardus Penotus lib. de Medicam. Chymic. pag.* 32. qui ad ſe recipit facultates omnes tam animales quam vegetabiles & minerales. Sicuti aliqua cera recipit in ſe omnium formarum impreſſionem: ſic ☿rius omnium rerum naturalium recipit in ſe proprietates. Si fuerit mundus & præparatus, ſicuti debet, tunc maximè perfectiſſimus & puriſſimus, puriſſimi auri & argenti in ſe recipit impreſſionem. Sicuti luna eſt univerſale receptaculum omnium, præſertim autem ſolis: ſic & ☿rius omnium rerum naturalium receptaculum eſt univerſale, virtutum earum, præſertim auri. Ideò per comparationem Philoſophis luna terræ dicitur: ſicut aurum ſol terræ: & ſicut luna eſt prima janua in cœlo: ſic ☿rius lunæ comparatus, prima janua eſt ad artem. Sicuti, quando terra ſoli & lunæ interponitur, impedit lunam, quò non ſuſcipiat influentiã luminis ſolis, & ſic tenebroſa manet: ſimiliter terrena impuritas ☿rio occul-

similaribus constans; quia si fixus est, totus remanet in igne; si volatilis, avolat in fumum. Mercurius hic est incombustibilis & aëreus, cùm sit perfectus, densam habet substantiam, quia ex subtilissimis partibus componitur; auro præponderat, quia est in sua natura, & repurgatus ab omnibus heterogeneis substantiis; totius operis Physici fundamentum est, cùm sine ipso nihil fiat, & cum eo totum. Est in ☿rio, quicquid quærunt sapientes. Hînc egregiè sic disserit *Geber in Magist. perfect. Si cum solo ☿rio perficere poteris, pretiosissimæ perfectionis eris investigator, & ejus operis summâ lætaberis,* quæ naturæ vincit opus; *mundare enim intimè poteris, ad quod non pervenit natura: sic ars naturam aliquando superat. Hic ☿rius est amicabilis, & metallis placabilis, ac medium conjungendi tincturas; nihil in eo submergitur, nisi sol, sine ipso aliquod metallum deaurari non potest, id est, in aurum converti; est tinctura rubedinis, & fulgidi splendoris, non recedit à commixto, si fixus fuerit.* Et *alio loco Geber: Laudetur,* inquit, *benedictus & gloriosus Altissimus, qui creavit illum, deditque illi substantiam & substantiæ proprietates, quas non contingit ex rebus ullis possidere, ut in illa possit inveniri hoc perfectionis, per artificium aliquod, quod invenimus potentiâ propinquâ; ipse enim est, qui ignem superat, & in ipso ac ab ipso non superatur, sed in illo amicabiliter gaudet quiescens si nempè fixus fuerit.*

Et ita ☿rius altera pars lapidis Philosophorum erit, principium alterum, materque omnium metallorum, & secundum quod coit cum patre, & masculo suo ♀re, causat perfectionem & imperfectionem in metallis: & metalla quoque (ut fœtus) plus à matre, sic loquendo, quàm patre habent; hînc plu-

volantem, animam mineralem, dominum elementorum, filium fugitivum, &c. Terram mercurificantem in ⊖le latitantem ☿rium Philosophorum indigitat *Joh. Joach. Beccherus Physic. subterran. lib.* 1. *sect.* 6. *cap.* 8. eumque duplicatum dicit, si 🜍re Philosophorum animetur: item tincturam, si is præfato 🜍re sit imbibitus, & ad fixationem, ac plusquam perfectionem deductus.

Hoc autem modo ☿rius Philosophicè perficitur: ut nimirum ejus obscuritas plumbea tota tollatur, & translucidus clarus transparensque reddatur; deindè ut ejus terræ gravitas nimia subtrahatur; quare nimia terrestreitas & aqueitas impedit ejus vires; & tandem, ut ejus ab igne volatilitas quoque tollatur. Hæc sunt superflua in ☿rio, quæ impediunt ejus perfectiones. Et sic per depurationem fit ⊖l Philosophorum. Quare superflua à natura sunt removenda, & absentia supplenda. *Bernhardus Penotus de Lapid. Phil. quæst. & resp.* 1. Hic etiam *lib. de Medicam. Chymic. pag.* 29. à ☿rio omnem sulphurietatem, vel omnes 🜍ris partes unà cum plumbeis ac terreis partibus auferendas esse docet, etsi hoc multis Philosophis & Philosophorum rationes haud probè intelligentibus absurdum esse videatur. Est enim ☿rius Philosophorum in sua prima radice compositus ex terra alba, subtili, nimium 🜍rea, cum aqua clara fortiter admixta & unita tali unione per minima, donec æqualiter humidum temperetur à sicco & siccum ab humido, quousque fiat substantia viscosa, non quiescens in superficie plana, nec adhærens tangenti, propter siccitatem, quæ alteravit aqueitatem in ipso: hic est toties celebrata Philosophorum aqua sicca; homogeneus est in sua natura, ex partibus undequaq; simi-

regeneratus. Primus eſt quinta eſſentia, & aqua permanens, ſpiritus, ſemen fœmineum paſſivum. Alter autem eſt ſolidum metallum; arte verò coagulatur, aut cum metallis, aut mineralibus, vel ſine ipſis per ſe, aut per alia, extra mineralem naturam exiſtentia. Tertius eſt primum ens ☿rii.

Sunt, qui per ☿rium non ☿rium vulgarem, qui in mineris exiſtit, & *Germanico idiomate* **Queckſilber** vocatur, intelligunt, ſed ſpirituoſam potius maximeque ſubtilem & ætheream quaſi ſubſtantiam, quæ corporibus mixtis volatilitatem & penetrabilitatem largitur. Imò corpus ajunt eſſe permeabile, penetrabile, puriſſimum, ſubtiliſſimum, vivificum, & formæ proximum inſtrumentum; & hînc etiam à *Th. Williſio cap.* 2. *de Fermentat.* per ſpiritum exprimitur.

Propriè verò ☿rius eſt liquor mineralis, ex aqua metallica viſcida, & terra ♀rea conſtans, ſpirituoſus, volatilis, ad contactum frigidus, ſed vi calidâ præditus, ponderoſus, coloris argentei, inſtar aquæ fluidus, ſed manus non madefaciens.

Duplex hic eſt (1.) Nativus (2.) Artificialis. Nativus, ſive foſſilis, ſui coloris, ſine excoctione, intra metalla in lacubus, in quos è fibris effluxit, ſeu in propriis venis, aut etiam in vena ſchiſti, ſeu hæmatitis utplurimum tamen in Cinnabrio nativo copioſiſſimè reperitur. Hunc novit ipſe *Plinius hiſt. nat. lib.* 33. *cap.* 6. cum inquit: *Eſt & lapis in iis venis, cujus vomica liquoris æterni argentum vivum appellatur.* Ipſum forſitan non vidit *Dioſcorides*, quando inquit *lib.* 5. *cap.* 70. *Quin etiam argentum vivum invenitur in argenti fodinarum tectis, ſtillatim concretum; alii per ſe in metallis inveniri tradunt.* Mercurius hic mater & elementum metallo-

K rum

plurimum trahunt originem, & in hoc plurimum reſolvuntur.

Differunt ergò multum ☿rius Philoſophorum & ☿rius vulgi. Mercurius vulgi aurum & argentum non ſolvit, nec ſe ita commiſcet cum illis, quin ab illis ſeparari poſſit; ſed ☿rius Philoſophorum aurum & argentum ſolvit, & cum illis ita miſcetur, ut nunquam ab illis ſeparari poſſit. Cum ſemel mixtio facta eſt, nunquam ſeparari poſſe dicimus, ſicuti aqua commixta nullo modo ſeparari poteſt. Deinde ☿rius vulgi in ſe habet 🜍ur atrum peſſimum & combuſtibile: ☿rius verò Philoſophorum 🜍ur incombuſtibile, fixum, albiſſimum & ruberrimum continet. Frigidus & humidus ☿rius vulgi eſt: ☿rius autem Philoſophorum calidus & humidus. Corpora metallica denigrat ☿rius vulgi: ☿rius autem Philoſophorum illa dealbat, & ad candorem cryſtallinum deducit. Mercurius vulgi præcipitatur, & fix ex illo pulvis flavus, & peſſimum 🜍ur: ☿rius autem Philoſophorum mediante calore in 🜍ur albiſſimum, fixum & fluxile tranſmutatur. Et demum, quantò plus ☿rius vulgi coquitur, tantò fit ſubtilior & volatilior: contrarium autem facit ☿rius Philoſophorum; quantò enim magis coquitur, tantò fit ſpiſſior, & minus fluxilis. Multum ideò unus ☿rius diſtat & differt ab altero. *Anonymus Gallicus in Inſtruct. de Arbor. ſolar. cap.* 5.

Mercurium aliàs Medici & Chymici vocant unum è tribus principiis corpus, in quo proprietas rerum continetur: Vel dicunt eſſe principium materiale, vaporoſum, naturæ aqueæ, ſubjectum nimirum generationis, cui per vim formatur, imprimitur forma & abſolutio adeſt. Et ab hoc diſtant ☿rius metallorum, ☿rius à natura coagulatus, & ☿rius rege-

Artificialis ergò ſeu factitius ex minera ☿rii, vel etiam ex Minio, ſeu Cinnabrio nativo, ſive vena Minii, **auß dem Bergzinnober oder Queckſilber-Ertz**/ coquitur & elaboratur. *Ioh. Crato Conſil.* 381. Sic teſte *Petr. Andr. Matthiolo comm. in lib.* 5. *Dioſcor. cap.* 70. ampliſſima argenti vivi metalla viſuntur in *Hydria* monte, ubi continuò copioſum argentum vivum elicitur è lapide quodam, fragili potius, quàm duro, colore ex nigro ruſeſcente, & ad purpuram quadantenus vergente, ponderoſo, plumbi inſtar, argento vivo ſcintillante. Reperiuntur etiam in argenti vivi fodinis, inter ipſius venam, peculiares quædam zonæ lapidis illius rufi, quem foſſores foſſitiam Cinnabarin vocant. Hic adeò argento vivo ſcatet, ut ſæpius abſque alio igne indè per ſeſe guttatim defluat. Evenit præterea, dum foſſores mucronatis inſtrumentis venam effodiunt, ut purum proſiliat argentum vivum, decurratque celerius, veluti è fonticulo quodam. Hanc venam poſtquam effoderunt, conterunt, & in fictilia quædam anguſti orificii conjiciunt, & recenti arborum muſco obturant: deindè fictile alterum huic ſimile, latioris tamen oris, in terram ſepeliunt, & alterius pleni inverſum orificium, in illud inſerunt, & argillâ circumquaque muniunt, obturantque oſcula, & vaſa ſimul connectunt, & firmant, adeò ut vacuum fictile totum ſub terra ſidat, plenum verò totum ſuper emineat. Itaque in aperta area quàm plurima ſeriatim collocant fictilia, & deinde ignem in ambitu ſuccendunt, cujus vi calefactâ venâ, argentum vivum guttatim diſtillat in ſubſtratum fictile. Hinc ſuo tempore eximunt, & in utriculos quoſdam reponunt, quod vaſa ferè cuncta exedat ac dilaceret, præter vitrea, vel fictilia vitro circumlita.

 Ho-

rum eſt; dicitur aliàs etiam venter ſtruthionis in terra natus, convenitque cum aqua non madefaciente manus, ſeu cum fluxo: cruduſque vocatur, quia calore matricis ad maturitatem fixitatemque nondum eſt perductus; undè & opponitur ☿rio coagulato, qui non eſt aliud quàm aurum. Eſt etiam materia metallorum cum 🜍re, lapis videlicet rubeus, de quo extrahitur argentum vivum, & invenitur in montibus, maximè in cloacis veteribus in multa quantitate. Natura ejus eſt frigida & humida, & eſt fons omnium metallorum, & ab eo procreantur omnia. Creatur verò cum omnibus metallis & miſcetur ferro, & ſine ipſo nullum metallum deaurari poteſt. Argentum hoc vivum cum 🜍re & ⊖le armoniaco ſublimatum convertitur in pulverem rubeum ſplendentem: & iterum uſtum in igne, redit ad ſubſtantiam humidam & fluentem. *Albertus Magnus de Alchym. quæſt.* 14. Mirabilis item & penetrantiſſima eſt ejus ſubſtantia, quæ fit in mineris per ignes ſubterraneos diſſipabilis; undè facilè ſe quoque in diverſa loca & ſubjecta inſinuare poteſt.

Nativum iſtum natura bifariam parit, dum ex argentariis pendet ſpeluncarum fornicibus, ubi concrevit in guttas, & dum è fodinis etiam per ſe colligitur; nonnunquam enim per ſe ipsâ naturâ operatrice, ſeparatus invenitur; aut enim per ſe liquidus in terræ ſpecubus, aut in nonnullarum venarum metallicarum in ☽narium, ♄ninarum tectis ſtillatim concretus, ſui coloris, id eſt, purus & genuinus reperitur, virgineus dictus, quòd inſtar virginis ſit, & ignem nondum expertus. Plerumque tamen ex terra minerali, quam Cinnabarin diximus, vi ignis evocatur, & fit artificialis.

Ar-

corpora metallica ſuo ipſo colore, arcenſque & præſervans à corruptione cætera corpora ſibi juncta.

Ex hiſce notum redditur, aliud eſſe ☿rium vulgi, aliud ☿rium metallorum. Ille minerale quoddam eſt, in ſuis etiam repertum mineris, & recrementum potius metallicum, ſuo tamen etiam ☿rio metallico conſtans, & quidem in magnâ copia. Nec ſuo deſtitutus 🜍re, ſed in minori copia, & quidem albo, uno externo, altero interno. Externum originalem ejus labem continet, quæ quia originalis, ideò & difficulter ab eo tollitur; quâ tandem nihilominus ſeparatâ per artem, ajunt periti, ☿rium 🜍re ſuperfluo externo & immaturo mundatum, quippe deinceps nullo igni poteſt in formam terræ præcipitari, ob maximam ſui ſimplicitatem, quâ aquæ elemento comparatur. Amiſit namque terram (id eſt, 🜍ur) quæ terra, inquit acutiſſimus *Helmontius*, in centro ſuæ eſſentiæ non minus eſt ex elemento aquæ, quàm reſiduus ejus depuratus ☿rius, licèt hanc terram prius ab origine ſibi profundiſſimè commiſtam haberet. Spoliatus iſto 🜍re ☿rius, nullo amplius igne mutabilis eſt, quia eſt ☿rius de ☿rio. Alterum 🜍ur metallorum eſt internum ipſi ☿rio, ideoque intactum ab omni corroſivo, non minus, quàm ab ignis & aëris deſtructionibus.

Sulphur hoc metallicum eſt quidem pinguedo terræ ſapientum, ſed quando ☿rius communis cum 🜍re phyſicè conjunctus & unitus fuerit, tunc erit pinguedo terræ ſapientum. Tunc eſt terra ſtercorata & pinguefacta ſapientum, prompta & parata ad ferendum fructum, hoc eſt, poteſtatem & virtutem habet faciendi tranſmutationem. Veriſſimum

Hodiè modum ☿rium ex Cinnabari nativo eliciendi etiam ruſtici ſciunt. Ollam Cinnabari implent, eamque ollæ alteri, interpoſita pertuſa lamina ferrea, ore converſo imponunt, lutoque circumlito vi ignis circularis ☿rium vivum ex olla ſuperiori in inferiorem defluere faciunt, ad modum, quo deſtillatio per deſcenſum perficitur.

Qui aliàs ☿rius è metallis extrahitur, & ☿rius corporum vel metallorum dicitur, artificialis quoque eſt; niſi enim ☿rius metallorum in ſuis inveniatur mineris, arcano ſanè, nec cuivis cognito artificio ex ☽na, ♄no, ♃ve, ☿rio ſeparari poteſt. Qui aliàs ex minera ☿rii igne aperto deſtillatur, & coquendo per ollæ foramina dato igne ſuppreſſionis decidit, item per retortam deſtillatur, ex minera Cinnabaris *Ungaricæ*, & ex ♁nio, ♄no elicitur, non ☿rius corporum ſolùm eſt, ſed etiam mineralis. Et hînc ☿rius è quovis corpore metallico extractus, propriè ☿rius corporeus & metallorum eſt. Hinc eſt verum azoth, quod *Paracelſo* eſt univerſalis & indifferens medicina, rerum ſpeciem omnem exuta, & intenſiſſimam induta vim, atque centralem quandam virtutem generaliſſimam, reliquas omnes medicinas in ſe concludit, non aliter quàm prima reliquas omnes ſubſtantias, excluſis accidentibus. Hanc in enſis pomo concluſam, quocunque loco ierit, geſtâſſe ſecum perhibetur. Hic quinta eſt eſſentia, aut corpus per ſe ſubſiſtens, differens ab omnibus elementis & elementatis, tàm in materia quàm forma, tàm in natura quàm virtute, nihil in ſe habens corruptibilis, diciturque quinta eſſentia, quia extrahitur ab omnibus elementis, nullumque in ſe habet motum elementalem, ut cætera corpora elementaria, tingens & purificans

cor-

163. Hinc etiam *Walchius in comm. pag.* 341. dicit: *Materia Philosophorum prima* non est ☿rius vulgi, sed essentia, quæ ex ☿rio vulgi extrahitur. Et *Arcan. Hermetic. Philosophor.* §. 44. *☿rius*, inquit, *Philosophorum argentum vivum est, non tamen vulgare, sed ab eo extractum ingenio Philosophico.* Propterea rectè censuit experientissimus Monachus *lib.* 3. *Testam. pag.* 181. spiritum album ☿rii vulgaris esse verum ☿rium Philosophorum. Et *Sendivogius tr. de* 🜍*re pag.* 163. *Ne desperes*, inquit, *in illo (*🜍*re) inquirendo, tibi sacrosanctè dico, illud in argento vivo esse facillimum.* Hoc confirmat *Petr. Ioh. Faber Panchym. lib.* 4. *sect.* 7. *cap.* 34. ita dicens: *☿rius Philosophorum ex ☿rio communi & vulgari elici & extrahi potest; in eo enim est, & non valdè alteratum, & elongatum ab ipso fonte, ex quo sumpsit originem; ergò ex ipso elici potest.* Et *Geber lib.* 2. *part.* 1. *cap.* 4. *perfect. Magister. ☿rius noster non est ☿rius vulgi, sed est tenuissima & subtilissima pars ejus, arte nostrâ ad talem tenuitatem & subtilitatem deducta.* Calculum huic subjicit *Propugnaculum Alchem. cap.* 12. sic disserens: *☿rius Philosophorum est spiritus, ex quo, tanquam semine, fiunt metalla, & ipsemet ☿rius vulgi, undè in ipso ☿rio vulgi latitat spiritus ille, & maxima in copia, & facilis est extractionis.* Et paulò pòst: *Ex ☿rio vulgi arte nostra habere possumus, quicquid optat Alchymia ad lapidem perficiendum.* Et *cap.* 13. *pag.* 25. *Si ☿rii vulgaris præparationem notam habemus, alius Philosophorum ☿rius non est perquirendus, nec alia aqua vitæ metallica & ☿ialis, nec alia lapidis Chymici aqua.* Et *cap.* 15. *His*, inquit, *ita demonstratis, alacriter concludere possumus, ☿rium vulgi ritè præparatum nobis omni ex parte sufficere ad opus Chymicum absolvendum &*

 per-

eſt, quod ☿rius per ſemet ipſum & ſolus nihil præſtare poteſt, niſi cum ſua re cooperante, 🜍re videlicet metallico ſit unitus, tunc enim ſuæ virtutes & proprietates erunt exaltatæ, & ad extremum uſque multiplicatæ, quia per 🜍ur metallicum ☿rius ad ſublimem caloris gradum extollitur, 🜍ur quoque illum ſpecificat, & ei vigorem ac ſpermaticam virtutem generativam communicat, quam à ſua natura non habet ☿rius, quamque à virtutibus & proprietatibus metallici ſeminis mutuatur. Nam ☿rius abſolutè ſubditus eſt, & de ſpiritu elementali 🜍ris ſuperiorum luminarium dependet; ille enim, omni propriâ formâ determinatâ deſtitutus, cujuslibet metalli formam, qualecunque etiam ſit, induit, dum ſe peramanter & naturaliter cum ſpiritu elementari 🜍ris metallici unit, inſtar mulieris, cum ſuo mare.

Rectè igitur dixiſſe *Lullium* opinamur, quod nullum argentum vivum promptius convertatur in ſubſtantiam 🜍ris, quàm illud, in quo 🜍ris qualitates per diſſolutionem ſunt ſufficienter introductæ, nec ullum 🜍ur promptius congelet argentum vivum quàm illud, in quo 🜍ris qualitates per diſſolutionem ſunt ſufficienter introductæ, nec ullum 🜍ur promptius congelet argentum vivum, quàm illud, in cujus naturæ ſubſtantia ipſum argentum vivum exiſtit, per artis ingenium jam converſum, quia tunc natura naturam complectitur propriam, & amicabilius gaudet in ea, quàm extranea. In argento vivo ideò erit 🜍ur, & in 🜍re argentum vivum, & deindè argentum hoc vivum non ſolùm ex ⊖le volatili ac medio, ſed etiam ex 🜍re ſubtili conſtabit.

Ex hoc ☿rio ☿rius Philoſophorum extrahitur. *Sendivogius Nov. Lum. Chemic. tr. ult. de 🜍re, pag.* 163.

aperto, per gradus aucto expellatur ☿rius in vas recipiens præpositum, aquâ frigidâ semiplenum. Mercurius prolectus, separatus ab aqua, per corium semel atque iterum cogatur: qui vulgari præstantior erit, præsertim, si repetitis sublimationibus, purior reddatur, tùm etiam, additione quorundam mineralium, animetur; modo sequenti scilicet: ℞. ☿rii puri, studiosè è Cinnabari nativa extracti, Regul. ♁nii ♂tial. stellati ana ℔j. Argenti limati ℔ij. Quibus probè mixtis ac amalgamatis, sublimetur ☿rius igne aperto per retortam, & pellatur in vas recipiens præpositum, aquâ ad mediam partem repletum. Et hæc ipsa ☿rii sublimatio, seu destillatio, à speciebus prædictis octies vel decies repetatur, singulis vicibus ☿rium siccando, ac per corium trajiciendo. Sic ☿rius, ut aquila, liberè volabit, à metallis & mineralibus animatus, spirituosus, nec non purus ac limpidus factus; æthereoque colore fulgidus apparebit. Hunc ☿rium non immeritò Philosophicum dicit *Joh. Zwelferus Mantiss. Spagyric. part. 2. cap.* 8. qui solem & lunam ut metalla pefectissima, in primam sui materiam revocare, & spiritualia rursus efficere potest, servatâ seminali virtute, ac radicali humiditate.

CAPUT XIIX.

Causam materialem Cinnabaris Mineralis, seu Minii Naturalis alteram, Sulphur nimirum, in specie ventilat.

CAusa altera materialis, seu pars secunda componens nostræ Cinnabaris mineralis est 🜍ur

 ♁nii

perficiendum. Quidni enim sufficeret, cùm perfectionem metallicam in se solo recludat.

Mercurii hujus multæ sunt species, inter quas hæ scopo nostro inservientes præcipuæ sunt: Sine excoctione reperitur purus in metallis: crudus, qui nondum separatus est à sua matrice, in qua generatus: E Minii vena excretus: Minium nativum: Globosum durum, quod *Arabes* Cinnabari vocant: Friabile: Factitium: Anthrax, vena Minii: Vena Minii, cui argentum vivum innatum est, ut, quoties frangitur, argento vivo guttatim stillet: Argento rudi rubro similis, è valle *Ioachimica*: Cocco similis, cum pyrite auri: Eidem similis, in lapide candido fissili: item in lapide fissili cinereo: Argenti vivi dives jecoris colore: Rudi argento rubro pellucido similis in magnetide coloris argentei: *Hydrensis* in rubro nigra, quæ malleo percussa granula vivi argenti stillatim exsudat: *Hydrensis* spadicei coloris: Fulva, in qua striatim pyrites coloris aurei est positus. Ex hisce, ☿rium causam materialem, seu partem componentem unam esse Cinnabaris mineralis, quilibet videre potest.

Hoc experimenta Chymica similiter confirmant; ex Cinnabari siquidem nativa, ☿rius vivus, currens, sincerus & purus elicitur: sicut etiam ex ☿rio vivo reciprocè Cinnabaris factitia facilè paratur. Cui itaq; volupe fuerit, ex Cinnabari nativa ☿rium conficere currentem ad ulteriores labores vulgari præstantiorem, modo sequenti procedat. ℞. Cinnab. nativ. rubicundiss. *Ungaric.* aut etiam *Carynthiac.* ℔j. cui in pulverem subtilem tritæ adde Limatur. ferri, seu Chalyb. ℥viij. vel ℥x. Calcis vivæ ℥vj. Mixta humectentur nonnihil pauculo aceto destillato, immittanturque retortæ vitreæ, ac igne

aper-

Partem lapidis Philoſophorum principium & patrem metallorum, calidum & ſiccum quarto gradu, ipſum dicit *Martinus Rulandus Lexic. Chymic. pag.* 453. Et illi 🜍ur nihil aliud eſt, quàm pinguedo terrę, per temperatam decoctionem inſpiſſata, quouſque indurata fuerit, & ſicca facta. Sulphur generatur ex puriſſima ſiccitate terræ, vel terreſtri, in qua modis omnibus ignis prædominatur; & eſt quaſi vapor calidus & ſiccus, cauſa & pater metallorum. Vel 🜍ur eſt terra calore excocta, & in ſubſtantiam 🜍ris mutata, aquoſis terreſtribus, & igneis transeuntibus. Sulphur hoc eſt principium formativum, partim aëreum, partim igneum æthereæ naturæ particeps, per quod virtus eſt, & vita rebus ineſt; quare & balſamus naturæ appellatur. Ita ⊖ l terminator eſt, 🜍ur informator, vim plaſticam habens; ☿rius vapor unctuoſus eſt, qui ab illis patitur; formam eſſentialem Chymici Phyſicis conſiderandam relinquunt. Alii ita iſta principia deſcribunt: viva, mobilis, & ſpirituoſa ſpecies, quæ in halitum attenuari poteſt, eſt ☿rius: ſicca & conſervans, & acuens eſt ⊖ l: urens, calida & puriſſima eſt 🜍ur. Ubi hîc notatur peculiaris ſignificatio vocis ☿rii, quæ, ut aliàs, non poteſt cum hydrargyro converti. Ita non hîc conſideratur 🜍ur *Galenicè*, aut *Ariſtotelicè*, ſed Philoſophicè, quod reſpicit craſin, undè ſunt facultates & vires. Et ideò quoque aliud eſt 🜍ur hoc, aliud 🜍ur vulgi. Quantum verò 🜍ur hoc Philoſophorũ à 🜍re vulgi diſtet, ex dictis jam patet, & quilibet etiam, vel mediocriter in Philoſophorum libris verſatus facilè conſiderabit. Sulphur enim hoc vulgi argento vivo eſt planè extraneum; habet in ſe cauſas duas corruptionis, inflammabilem ſcilicet ſubſtantiam & terre-

nam

♁nii ☉laris. Sulphur aliàs *Arabibus* Cibur vel Chybur, Crybtit, Rabric, Albuſao; Chymicis Akiboth, Ahuſal; Græcis θεῖον dicitur, eò quòd in expiationibus & ſacris ritibus vetuſtatis olim ejus uſus extiterit. Hoc aliter penſitant Philoſophi, aliter Chymici & Medici. Sulphur Philoſophorum nominat *Guil. Iohnſonus Lexic. Chymic. part.* 1. fermentum fermenti, ſpiritum coagulantem, ♁ur coagulans ☿rium, primam materiam, undè aurum noſtrum. Hoc appellat *Ageus Thomſonus Epilogiſm. Chymic.* 124. ens minerale, ſeminale, formale, ad ſummum claritatis faſtigium evectum, in quo totius compoſiti virtutes concentrantur. Quod verò nequaquam acquiri poteſt ſine concreti totali deſtructione: quod neutiquam perficitur absque ejus radicali ſolutione percorroſivum benevolum maximè volatile, quod metallicam materiam in partes tenuiſſimas (quantum fieri poſſit) dilacerat ſinuque ſuo intimè amplectens, unà ſecum in deſtillando ſurſum abducit. Quo impetrato, ♁ris ☉laris divortium à menſtruo per ſpiritus vegetabilis exquiſitè dephlegmati lenocinium conciliandum eſt. Tandem anima mineralis in liquorem delectabilem congruum intingi debet, in quo ambientis calore temperato fota tamdiu commoretur, donec ſpiritum illius rubeum eidem communicaverit, cujus menſtrui majore parte abſtracta, quod reliquum eſt per calorem incubantem in ſphæra fiat ſtabile, radios ſuos uſque quaque explicans, in microcoſmi ſalutem commodumque. Secundam terram pinguem, puriſſimam, incombuſtibilem, ubique præſentem, à paucis cognoſcibilem ♁ur hoc Philoſophorum nominat *Joh. Joach. Beccherus Phyſic. ſubterran. lib.* 1. *ſect.* 6. *cap.* 8.

Par-

ratam decoctionem inſpiſſata in minera terræ, quouſque indurucrit, & fuerit ſpiſſa, & cum indurata fuerit, 🜍ur dicitur. Fortiſſimam 🜍ur operationem habet, & eſt uniformis ſubſtantiæ in partibus ſuis: & ideò non aufertur ab eo oleum ejus per deſtillationem, ſicut ab aliis rebus oleum habentibus, ſed per aquas acutas 🜍ur in ipſis decoquendo: invenitur in terra, aliquando in montibus, aliquando in paludibus: eſt etiam multiplex, ſcilicet album, rubeum, viride, citrinum, nigrum: & etiam quoddam mortuum, &c. *Alb. Magnus in lib. de Alchemia.*

Eſt verò 🜍ur illud in metallis & mineralibus, quod Chymici quærunt, duplex; vivum, purum, incombuſtibile; & adurens atque impurum. Purum duplex eſt; album & rubrum: rubrum ingreditur compoſitionem auri, album verò argenti. Impurum autem duplex; fixum & volatile atque inflammabile. Quæ metalla plus habent de 🜍re fixo & immundo, difficilius liquantur, & vehementem ignitionem requirunt; ejuſmodi ſunt æs & ferrum: quæ verò plus habent de volatili & inflammabili, ante ignitionem funduntur & liquantur. Sulphur vivum & incombuſtibile, auri & argenti compoſitionem ingrediens, eſt exhalatio calida & ſicca, genita ex puriſſima ſiccitate terreſti, in qua omnibus modis dominatur ignis; cujus proprium eſt tandem ſucceſſu temporis ſuum coagulare ☿rium; in argentum, ſi fuerit album ſulphur, vel in aurum, ſi fuerit rubrum: ſicque perfecta metalla ex ſolo ☿rio, puriſſimo, ſubtiliſſimo & defœcatiſſimo, coagulato, à pauco 🜍re albo vel rubro generantur. Sulphur enim eſt quaſi pater, argentum vivum autem, quaſi mater metallorum.

Sulphur ergò & Mercurius prout ſunt conſtitu-

ta,

nam fœculentiam: per primam ipsius natura stare in igne non potest, quoniam comburit semper, & comburitur, & nigredinem in omni opere præstat. Per alteram verò neque fusionem habet, neque ingressionem, quoniam, si fixum fuerit, prohibet fusionem, & ipsum nunquam figitur, nisi prius calcinetur, cùm verò calcinatur, nullo modo funditur in artificio, quoniam in terrenam substantiam redigitur. Verùm 🜍ur Philosophorum ex intimis argenti vivi perfectorum corporum visceribus petitur, nec est aliud, quàm ignis simplex, nec urens, vivus, vivificans alia corpora mortua, & ea maturans, & naturæ defectum supplens, cum ipsum sit superfluæ maturitatis, secundum quod in natura sua est perfectum, ac per artificium magis depuratum. *Theob. de Hoghelande lib. de Alchemiæ difficultat. part.* 3. Hoc 🜍ur non est 🜍ur vulgi, quia 🜍ur vulgi comburitur, semper inficit & denigrat corrumpitque, sed 🜍ur sapientum album comburit combustione albedinis & meliorationis: Est ignis simplex, vivus, alia corpora vivificans & ea maturans, superfluæ maturitatis est, & per artificium magis separatum.

Sulphuris vocabulum Chymici bifariam usurpant, primò pro materia prima, ex cujus purissima portione cum ☿rio vivo, puro in visceribus terræ juxta & à natura per multas ætates concocta aurum generari tradunt. Ex ejus autem impuriori parte cum impuro argento vivo inæqualiterq; commixta, & non satis decocta, reliqua impura metalla & mineralia conflari opinantur. Hoc vero 🜍ur nihil aliud esse ajunt, quàm vaporem in visceribus montium excitatum, & in poris venisque terræ concretum. Et hînc etiam est pinguedo terræ per tempe-

ratam

ſorum vitreorum peculiari quodammodo factorum & artificioſè diſpoſitorum ope, collectos ſolis radios in pulverem fuſci coloris, aut purpurei in rubrum vergentis, præcipitatos fuiſſe, teſtatur *Kenelmus Digbæus Demonſtr. immortal. anim. rational. cap.* 8. hoc inſuper ſubjiciendo, quòd iſthâc operatione per calidiorem anni tempeſtatem aliquibus diebus duæ ferè unciæ illius pulveris purpurei colligi potuerint. Confer. *Miſcell. Germanic. Curioſ. Ann. 6. obſ.* 18.

Sulphur animale dari nemo negabit; hoc præprimis teſtantur ſanguis & pinguedo. Sanguis enim abundat ⊖ le volatili, partibus 🜍reis & oleoſis ſummè rubicundis. Pinguedo ferè purum 🜍ur eſt.

Ex vegetabilibus quoq; 🜍ur demonſtratur. Ridiculum ſanè fuerit negare in vegetabilibus 🜍ris exiſtentiam, ſive conſideremus antheras, quæ ex ſecali, corylo, pino, junipero, muſco terreſtri clavato, lunaria, & tantùm non omnibus floribus plus minus eliciuntur & viſendæ ſunt, inflammabili & 🜍reâ naturâ manifeſtò gaudentes, ſive alia. Undè quoque fruſtra eſſet, ſi olea deſtillata & ſpiritus, ut 🜍ur liquidum in proſcenium adducere vellemus, vel in aliis quoque id curioſius demonſtrare; quæ omnia quippè tàm vera ſunt, quàm ſol in meridie lucet. Et ſic etiam 🜍ur auratum, formâ ſiccâ conſpicuum, odore, colore & inflammabilitate præditum ex vegetabilibus elici poteſt.

Metallis & mineralibus 🜍ur manifeſtiſſimum ineſt; quid enim aliud eſt 🜍ur, quàm pinguis terra; cùm autem in omnibus animalibus & vegetabilibus pinguedinem inveniamus, quam Neoterici etiam oleum vocant, quis dubitet & eam mineralibus & metallis ineſſe, quoniam aliqua ardere, flagra-

ta, ſic etiam metalla. Corpora namque metallica ſuâ compoſitione differunt à ☿rio, quæ ab eo generantur: eo modo, quo ipſum fuerit purum vel impurum, ex 🜍re mundo vel immundo. Si argentum vivum coagulatur ex 🜍re puro, in quo eſt vis igneitatis, ſimplex erit aurum. Si 🜍ur fuerit debile, & ☿rius bonæ ſubſtantiæ, convertetur ipſum in æs. Si verò argentum vivum fuerit ponderoſum, terreum & immundum, & 🜍ur immundum, & fœtidum terreum, & ſubſtantiæ fixæ, fit indè ferrum. Sic differunt corpora metallica ab argento vivo, ſecundum quod in ipſis ineſt 🜍ur extraneum vel adurens. Multa quantitas 🜍ris eſt eorum imperfectio & multa quantitas ☿rii eſt eorum perfectio. Sulphur comburit & comburitur, & perfectionem in omni opere impedit. Duplex eſt 🜍ur, vivum ſcilicet & urens. Sulphur vivum ſimplex cauſat aurum & argentum, & nihil aliud eſt, quàm vapor calidus & ſiccus, qui vapor calidus eſt & ſiccus, generaturq; ex puriſſima ſiccitate terreſtri, in qua ſiccitate prædominatur ignis. Sulphur hoc, quantò magis ſimplex eſt, tantò magis gaudet & cohæret ☿rio ſimplici & mundo. *Albertus Magnus in Compoſito de Compoſito. Bernhardus Penotus in Regul. ſeu Canon. Phil.*

Quò magis ergò purum eſt 🜍ur, tantò magis perfectius reddetur metallum: quò autem impurius 🜍ur cum ☿rio impuro erit, eò imperfectius etiam exiſtet metallum. Sunt autem 🜍rum varia genera; aliud enim eſt ☉lare; aliud animale; aliud vegetabile; aliud metallicum & minerale nativum; aliud verò factitium. Sulphur ☉lare ex ☉le colligitur. Aſt verò ex ipſius ſolis radiis 🜍ur legere, id demum myſterium eſt prioribus ſeculis, excepto fortè ignem cœlitus rapiente *Prometheo*, ignotum. Vaſorum

aliud ab alio 🜍ur in ſe continet. Ad ſimilitudinem caſtanearum & nucum, mineralia pariter ſuis involvuntur corticibus, in nucleo tamen præſtantiſſima latet virtus, quæ ab externis nutritur & ſuſtentatur. Intimum illud 🜍ur eſt, quod præcellit, embryonatum ſpagyricè dictum ab origine ſpecifica; ut 🜍ur embryonis auri, lapidis Phil. Sulphur externum, in quo latet embryonatum, nobis eſt minerale. Eſt & tertium genus, quod ex nucleis mineralium vel metallorum extrahitur, quod non melius, quàm animatum & ſpagyricum ab arte vocari poteſt: quodque cuique ſibi ſimili venit applicandum in utraque facultate. Vel, ut melius intelligatur: primum 🜍ur eſt univerſale, quod reſina terræ eſt, tanquam mater vel pater aliorum 🜍rum, & vocatur minerale: alterum eſt, ubi hoc ſpeciem induit metallicam aut mineralem, & tùm demum dicitur embryonatum: tertium, quod ab iſtis repurgatur, ſpagyricè purum exiſtit, abſque ſuperfluitatibus, & appellatur animatum.

Sulphura illa metallorum & mineralium colore varia ſunt: citrinum, flavum, rubrum, ſanguineum, puniceum, nigrum, album, cinereum ſeu griſeum, &c. Solum flavum & aureum in medicina eſt ſalubre. Cætera multum habent arſenici & auripigmenti rubei. Ideò vitanda ſunt. In Alchymia verò reliqua ſunt meliora, quia ingreſſum habent ab arſenicalibus.

Deinde 🜍ra iſta vel ſunt pura, vel ſunt impura. Commendant ſe 🜍ra non in metallis ſolùm & mineralibus, ſed in animalibus etiam ac vegetabilibus potiſſimum triplici modo; (1.) Odore, qui in impuris eſt paulò gravior, in puris verò vel nullus, vel gratior, quamvis hic medio quaſi modo ſe habeat,

grare, in cineres redigi & comburi posse constat: imò 🜍reum vaporem omnia in igne spirant, sicut & in mineris, præsertim si sublimatione & elixatione tractentur; optimè verò 🜍ur volatile acquiritur ex mineris nondum igne tractatis; hînc exindè flores sublimati leviter in Cinnabrium abeunt. Deindè etiam ⊖ lia, ut sal gemmæ, nitrum, alumen, vitriolum 🜍ribus narcoticis stipata sunt. Hînc etiam est 🜍ur illud ⊕-latum, quod nihil aliud Chymicis est, quàm 🜍ur à ⊕-lo decoctione tractum, per aquam communem, cui innatat. Hînc ex ⊕-lo multa parantur medicamenta egregia, 🜍ur anodynum & narcoticum continentia, uti videre quilibet potest apud *Theophr. Paracelsum lib.* 1. *de Reb. Natural. cap.* 7. *Ioh. Hartmannum in Tr. de Opio theor.* 8. *Prax. Chymiatr. part.* 1. *cap.* 8. *Ioseph. Quercetanum Tetr. graviss. capit. affect. cap.* 30. *Ang. Salam Anat. Vitrioli tr.* 1. *cap.* 6. *Andr. Tentzel. Exeges. Chymiatr. sect.* 3. *Ioh. Beguinum Tyrocin. Chymic. lib.* 2. *cap.* 20. *Hadr. Mynsichtum Armam. Medic. Chymic. sect.* 1. *Petr. Poterium Pharm. Spagyric. lib.* 2. *cap.* 10. *Guil. Davissonum in Adumbr. tot. oper. pag.* 615. *&* 616. *Ioh. Zwelferum Mantiss. Spagyric. part.* 2. *cap.* 9. *Joh. Georgium Trumphium in Scrutin.* ⊕-*li cap.* 6. *& alios.*

Est autem propriè nihil aliud quàm resina terræ illud 🜍ur metallorum ac mineralium, in quo virtutes innumeræ delitescunt, in utraque facultate, crudum tamen in neutra validum. Arcanum solum ejus ab impuritatibus vindicatum ac liberum operatur admiranda: lotum prius in albedinem excellentem eam, quæ conspicitur in nive, per Isopicam artem. Tam diversas virtutes, quàm varias habet origines. Quodlibet enim metallum aut minerale

aliud

undè fluxiles redduntur humores in coagulum abeuntes, tenues nimis & acres corriguntur, ut ideò quòd ultra Cinnabarin nativam, vel ♁niatam, humorum acrimoniam & dolores æque tollat, vix aliud sub sole inveniatur. Et tale 🜍ur maximè in auro latitat purum, homogeneum, naturæ amicum, & confortandi vires habens.

Contrà 🜍ra impura faciè vomitum movent. Sunt quidem 🜍ra anodyna seu dolorum mitigativa, verum de 🜍re 🜖-li narcotico adhuc quæritur, an laudabilibus ejusmodi virtutibus gaudeat, nec ne? de quo varia Chymicorum mens est, aliis in liquore id venditantibus, qualis est essentia 🜖-li anodyna *Angeli Salæ*, cum spiritu 🜖-li rectificato extracta: aliis in pulvere id ipsum exhibentibus, factâ qualicunque præcipitatione ex eodem soluto. Verùm enim verò Essentiæ vitriolatæ omnes ritè paratæ in sedandis doloribus scorbuticis, podagricis, hypochondriacis multum præstant; & hînc pro certo ac indubitato habemus, quòd 🜍ra metallorum & mineralium, modò puritatem habeant, sint anodyna, seu destinentur humorum acrimoniæ, & consequenter dolori indè exorto cuicunque. Deindè non sunt confundenda narcotica cum anodynis; hæc dolores sedant; illa verò propriè somnum stuporemve inducunt; & sunt quædam anodyna, quæ non æque sunt narcotica, quæ humorum acrimoniam quidem mitigant; consequenterque dolores auferunt, & per accidens etiam nonnunquam soporem cient, attamen intentione primariâ somnum non efficiunt, uti sunt, 🜍ra anodyna, vulgò narcotica dicta, metallorum & mineralium; ubi inprimis in Cinnabari nostra minerali eximium latet 🜍ur ♁nii ☉lare, cujus effectus sunt mirabiles; con-

& indifferens ſit puritatis vel impuritatis ſignum, cui ſoli non eſt credendum; (2.) Inflammabilitate, quâ & odorem magis produnt, antea velut occultum & abſentem, & vel tota deflagrant, vel ex parte ſaltem; quo ipſo quoque puritatis ſignum præbent, immerſa verò penitus terreis particulis etiam non omninò deflagrant, ſicuti exemplum Cinnabarinorum nobis oſtendit; (3.) Colore croceo illo vel rubello, qui potiſſimum & principaliter ad 🜍rum propriè dictorum eſſentiam refertur. Reperiri verò 🜍ur vel purum vel impurum in mineralibus, ♁nium demonſtrat, quod totum quaſi in 🜍ur verti poteſt. Hujus 🜍ur, auratum diaphoreticum vulgò dictum, ex ſcoriis reguli ſolutis, factâ filtratione cum ·✕· inprimis tranſvaſando præcipitatum eſt impurius; impurum verò vocatur, quod adhuc magis vel terreis craſſioribus, vel ſalinis particulis pollet; undè diaphoretici titulum non benè meretur, quin potius vomitum, quamvis mitius, concitat, niſi ·✕· figatur. Nihilominus autem 🜍ur purum quoque in ♁nio reſidet, id quod ex Cinnabari facilè elicitur. In præparatione arcani ♀ri etiam tale 🜍ur impurum, quamquam & terreis implicitum particulis, eſt videre.

Diverſæ operationis ejuſmodi 🜍ra pura & impura ſunt. Pura abſorbent, diaphoretica, nervina & anodyna ſunt. Admodum amica hæc naturæ noſtræ ſunt, & humoribus acidis atque acribus inſigniter dicata. Abſorbent igitur hos, edulcant, ſaturant, figunt, undè laſſatis ſpiritibus & membris optata quies exoritur, dolores omnes placantur, & acrimonia, nervoſum ac membranoſum genus irritans ſopitur & annihilatur. Hoc præſtat unica Cinnabaris nativa, benè præparata, & ♁niata; undè

tilia verò magis 🜍ra sunt in mineralibus, coquenda magis, quò magis immatura, cruda & indigesta sunt eadem, sicuti in specie in arsenico, auripigmento & ☿rio videmus. Undè non tantùm ☿rius igne facilè in auras abigitur, aliumque quærit locum; sed etiam longè magis, si per experimentum ☿rius dulcis ipse cum nitri dupla vel tripla proportione in crucibulo calcinetur, totus totus in auras aufugit. Simile in reliquis experimur. Fixum est 🜍ur in nostro Cinnabrio nativo. Fixissimum vero 🜍ur est in auro; quod ipsum hînc effectus edit diversos præstantesque. Idem autem etiam satis volatile redditur, si pansum & liberatum magis fuerit.

Describitur in genere 🜍ur, quòd sit resina sive pinguedo terræ, sive succus mineralis unctuosus, pinguis, constans copiâ puri 🜍ris ingenti, modicâ ⊖lis acidi quantitate, & tantillo spiritus, aquæ & terræ. Cum enim ab oleo destillato terebinthinæ vel juniperi 🜍ur commune dissolvitur, pars 🜍rea tincturâ valdè saturata menstruum imprægnat, salina concrescit in crystallos; aut quando sub campana accenditur, 🜍ur penitus deflagrat, interim ⊖l resolutus acidus circa vasis latera defigitur.

Sulphur illud est tùm nativum, tum factitium. Nativum aliàs dicitur vivum, *Græcis* ἄπυρον, seu ignem non expertum. Ex terra effoditur. Sic ex fodinis *Brunsvicensibus*, *Goslariensibus ac Lubecensibus* eruitur. Prostat etiam 🜍ur nativum ex *India* allatum, quod instar succini elegantissimum repræsentat colorem citrinum, quale etiam in *Anglia* reperitur. Hoc nativum triplex est. Impurum, quod ex *Islandia* adfertur, & demùm depuratur. Purum ex *Goslariæ* fodinis effoditur. Et fixum ex monte *Vesuvio* eruitur; hoc in ignem injectum non fla-

quiescunt enim indè dolores dentium, capitis, nervosarumque partium aliarum; quare in omnibus doloribus gravioribus hæc benè præparata convenit, cùm tensionem & vellicationem membranosi generis tollat, humorum acorem & acrimoniam, si qua adest, absorbeat & præcipitet, adeoque multis affectibus, v. gr. arthritidi, pleuritidi, calculo, &c. sit convenientissima. Licèt igitur doloribus sopitis, spontanea naturæ inclinatione, sopor subsequi queat, ablatâ nimirum causâ, vigilias fovente dolore, attamen propriè loquendo vix narcoticum soporemve inducens medicamentum tale, opio quidem par, in hac præsertim classe, existet. Tale inter alia est medicamentum *Boylæi* euporiston ex 🜍re 🜖li & ⊖ le armoniaco sublimatum: & se quoque exhibet tinctura 🜍ris 🜖li, ex terra 🜖li dulci cum spiritu ⊖ lis composito, & hînc cum spiritu vini facta. Et demùm in 🜍re 🜖li cavendum inprimis est, ne loco aliorum effectuum vis emetica succedat, præcipuè, cum venereæ seu cupreæ qualitates in 🜖lo maximè delitescant; id quod ipsum 🜍re ♁nii impuro percipimus. Impurum enim 🜍ur ventriculus ferre nequit, sed facilè expellit; hînc vomitoria quoque tali 🜍re impuro volatili maximè scatent.

Ejusmodi 🜍ra in metallis & mineralibus sunt quoque alia magis pansa, alia magis implicita; alia volatilia, alia fixa. In quibus metallis exacta est mixtura humiditatis ☿rialis cum 🜍re analogo, facilius ducuntur & malleo extenduntur, quàm in quibus plus est 🜖lati 🜍ris, & ⊖ lis aut terræ metallicæ. Confer. *Wormius in Musæo pag.* 113. Præprimis inter hæc pansa sunt 🜍ra in ♂te & ♀re; hînc etiam ex his seorsim extrahunt illa Chymici. Volatilia

artificio paratur; & hînc Cinnabaris ♁nii nihil aliud eſt, quàm ♀ur ♁nii cum ☿rio ligatum. Sic ♀ur etiam ex Cinnabari noſtra nativa cum ⊖ le ♀ri per deſtillationem elicitur. Cinnabaris nimirum ♁nii & nativa, ſi cum ⊖ le ♀ri miſcetur, & per retortam propellitur, reddit ☿rium currentem, & hoc modo, quod arcanum eſt multorum, ♀ur hînc acquiritur purum.

CAPUT XIX.

Cauſam materialem Cinnabaris Mineralis, ſeu Minii Naturalis tertiam, Terram nimirum mineralem lapideſcentem in ſpecie penſitat.

TErra vulgaris triplex eſt, animalis, vegetabilis & mineralis: ſic & Philoſophica ſubdividitur. Verùm differentia inter vulgarem & Philoſophicam eſt, quòd illa ſterilis, mortua; hæc viva & vegetans ſit; vocatur etiam matrix, terra foliata, creta, terra virginea, fimus Philoſophorum, terra, quam aër in utero portat, ſepulchrum & vivificatio rerum. Terra, quæ tertia pars componens Cinnabaris nativæ audit ☿rioque & ♀ri baſin præbet, eſt mineralis lapideſcens, & ita non propriè terra, ſed propter analogiam ita dicitur, differtque ab ea admodum parum, quæ etiam corpus eſt foſſile, naturæ mineralis particeps, injectaque aquâ ſolvitur & lutum fit. Et quamvis quædam hujus generis terræ reperiantur, quæ aquis madefactæ non confeſtim ſolvantur in lutum, progreſſu tamen temporis, ſi diu macerentur, eò rediguntur.

grat, nec flammam concipit. Huic affine est 🜍ur *Puteolanum*. Sulphur etiam fixum arte sequentem in modum fieri potest. ℞. Crucibulum calce vivâ plenum, fac foveam, inde ⊖ l armoniacum pulverisatum, tege iterum cum calce viva, & deluta crucibulum, cæmenta per quatuor horas, pòst excandescat per bihorium, exime ⊖ l armoniacum, & cum aqua forti mixtum fiat aqua Regia. In hac solve 🜍ur, abstrahe aquam Regiam, & in fundo remanebit massa dura, tere, lava, exsicca, & habebis 🜍ur fixum. Factitium est, quod arte paratur, & fit perfectum, quod ignem jam est expertum. Variis autem confici solet modis. Quibusdam in locis ex aquis decoquitur, ut ad *Budam Pannoniæ*. Alibi ex effossa gleba, & in vasis cocta perficitur igne, ut in multis *Italiæ* tractibus, *Senensi, Puteolano ac Volaterrano*. Præparatur autem hâc ratione. Effoditur impurum, terræ & lapidi commistum, in urnis fictilibus coquitur, ignem in fundo tantum sentientibus. Sic sublimatur purior substantia, quæ cum adscenderit ad superioris vasis regionem, per rostrum descendit in aliud vas liquatum olei modo, indè egressum, in loco frigido variâ coit figurâ. Aut pyrites eò stillat, & in ollis coquitur, ut cernere licet in *Saxoniæ Brambecco*, & *Hadzkerodo*, ditione Principum *Anhaltinorum*. Confer. *Olai Wormii Mus. cap* 11. item *Ath. Kircheri Mund. Subterran. lib.* 9. *sect.* 3. *& lib.* 11. *sect.* 11.

Exhibet & Chymia multa 🜍ris artificialis genera, v. gr. ex ♂te, ♀re, ♃ve, ⊕-lo, &c. Sic 🜍ur ♁nii impurum ⦶tri & ⊖ lis ♀ri beneficio extrahitur; quod ipsum quoque lixivio saponariorum in copia consit, repetitis vicibus coctione cum ♁nio instituta; purum verò ex Cinnabari ejusdem eodem arti-

graviss. capit. adfect. cap. 33. *Natura nobis in quibusdam aurifodinis in Hungaria profert genus quoddam mineralis Cinnabaris ponderosissimæ, ac longè artificiali rubicundioris: imò etiam quæ usque adeò transparens ac dilucida est, ut non minoris pretii, at majoris etiam ipso auro æstimetur: quæ per se, & citra ullam præparationem aliam, quàm quâ naturæ coctionibus temperata est, remedium est nobilissimum & admirandarum virium adversus minores epilepsias, aut analepsias, &c.* Item: *Est & aliud minerale Cinabrium, formam lapidis rubri referens, ponderosissimi, quod variis locis reperitur. Sed apud Marpurgenses ampla, elegans & ferax illius minera est in Hassia. Ex eo Cinnabrio non dubium est, quin possit eo modo, quem describit Dioscorides, & post eum Oribasius, sublimatione ☿rius extrahi, cujus etiam capax est ipsa fodina, copiosiorque eo modo elicietur à Dioscoride descripto, ex eo minerali ☿rius, quàm ex artificiali. Priorem Ungaricam* Cinnabarin mineralem in dubium vocat *Andr. Libavius Apocalyps. Hermetic. part.* 1. *cap.* 7. quam non putat esse lapidem argenti vivi, sed Gelsum *Ungaricum* rubrum, aut venam argenti rudem rubram, translucentem, cujus meminit *Mathesius*: aut succum mineralem, qui sub titulo Cinnabaris fossilis perspicuæ circumfertur. Zincki speciem aliqui vocant, seu marcasitæ aureæ, ♀re perspicuo plenæ.

In superiori *Germania*, ut notat *Encellius* ex authoritate *Cordi* ad *Rhenum Eberborgi* & *Scombachi* magna Minii copia reperitur. In *Misnensibus* etiam fodinis vena illius generis Minii observatur, quod olim apud *Romanos* tanti pretii fuit. Tandem in *Hydria* monte, ex hydrargyri fodinis Minium erutum vidit *Petr. Andr. Matthiolus comm. in lib.* 5.

CAPUT XX.

Cinnabaris Mineralis, seu Minii Naturalis locum natalem ostendit.

CUm non omnis ferat omnia tellus, meritò in Cinnabaris mineralis, seu Minii naturalis locum natalem inquirimus. Ex *Hispania* solere Minium deferri *Dioscorides lib.* 5. *cap.* 69. retulit; Item *Justinus* Minium à *Minio Hispaniæ* fluvio nuncupatum voluit, cùm testibus *Plinio* & *Trogo* Hispaniâ nulla regio Minii feracior reperiatur, quamvis credibile magis sit, *Minium* fluvium *Hispaniæ* à colore Minii naturalis, quo plurimum exundat, nomen accepisse. Ex *Colcho* afferri divulgavit *Vitruvius Architectur. lib.* 7. *cap.* 8. Præstantissimum tamen est, quod ex *Sisaponensi* regione in *Bætica* advehitur; quapropter legitur apud *Calepinum*, quod *Sisapo*, teste *Plinio hist. nat. lib.* 3. *cap.* 1. sit oppidum *Hispaniæ Bæticæ*, miniariis metallis celeberrimum; Minium etenim, asserente *Plinio hist. nat. lib.* 33. *cap.* 7. ibi non excoquebatur vel perficiebatur, sed vena signata *Romam* afferebatur. Nasci in *Carmania Iuba* prodidit, & *Hermogenes in Æthiopia*, sed neutro loco ad nos advehitur, nec ferè aliundè, quàm ex *Hispania*. In diversis aliàs reperitur locis, in *Armenia*, *Carynthia*, *Ungaria*, *Palatinatu* prope *Alsheimium*, territorio *Brunsvicensi* zu Walckenried/ *Hassia* prope *Marpurgum*. In confiniis *Bohemiæ* cum auri ramentis lavatur. Ex Comitatu *Schvvarzburgensi* ea quoque speratur. De utraque Cinnabari, quæ tam ex *Ungaria*, quàm *Hassia* adfertur, sic scribit *Joseph. Quercetanus Tetr.* gra-

*derian. lib.3.cap.*16. quæ in civitate Grembs reperitur. Ea eſt optima, quæ eſt rubicunda, cujus flamma illuſtris & ſincera eſt, & in qua argenti vivi ſcintillant micæ,

Hoc Cinnabrium nativum cùm etiam vel purum reperiatur, quale in *Armenia*, item in *Haſſia*, prope *Marpurgum* è fodinis plumbeis extrahitur: vel lapidibus permiſceatur, ut in *Ungaria*, Hartenſtein/ zum Schlegel/ &c. quandoque in lapide ſciſſili cinereo, bractearum modo, concretum: quandoque in lapide metallico candidiſſimo ſit, ſemper eligendum eſt illud, quod purum, & à lapidibus bene ſeparatum eſt.

CAPUT XXII.

Cinnabaris Mineralis, ſeu Minii Naturalis vires & uſum ante præparationem illius profert.

CInnabaris Mineralis vires & uſum conſiderare triplici modo nobis animus eſt; primò enim vires & uſum illius ante præparationem contemplabimur: deindè præparatæ vires planè admirandas atque ineffabiles tàm in genere, quàm in ſpecie enarrabimus: & demum crudæ uſum mechanicum adjiciemus. Uſum Cinnabrii nativi ſeu Minii foſſilis in medicina ante illius præparationem ſummopere vitandum eſſe arbitramur, cùm veneficâ qualitate ob ſpiritus ſuos ☿riales, ſicuti diximus, non careat; undè *Auſonius Edyl.* 12. jure merito lethiferum illud appellavit hoc verſu:

Et quod Germano miſtum male lethiferum min?

Id-

Dioscor. cap. 69. ubi plerumque evenit, ut vulneratâ ferramentis venâ, argentum vivum, fonticuli instar, in substratam defluxerit humum. Et *Comm. in cap.* 70. amplissima argenti vivi metalla in *Hydria* monte, qui quadraginta millia passuum à *Goritia* distat, videri scribit, ubi continuò copiosum elicitur è lapide quodam, fragili potius, quàm duro, colore ex nigro rufescente, & ad purpuram quadantenus vergente, ponderoso, plumbi instar, & argento vivo scintillante.

Loca autem Minio redundantia tempore nivium facilè cognoscuntur, dum nives, hujusmodi loca tegentes, rubore inficiuntur; quocirca celebris ille *Homeri* interpres *Eustachius* quibusdam in locis nives observari rubras asseruit; & indè locus, in quo nives deprehenduntur rubræ, μιλτώδης illi dicitur.

CAPUT XXI.

Cinnabaris Mineralis, seu Minii Naturalis delectum observat.

IN dijudicandis medicinalibus, si de notis bonitatis certiores esse velimus, usus obtinuit, ut ad manus sumamus exemplum quoddam, ad quod, tanquam ad Lydium lapidem examinanda examinemus, eaque si bonitate cum exemplo conveniant, retineamus, sin minus, aversemur. Hînc cum Cinnabaris mineralis sese nobis offert, semper eligenda est ea, quæ gravida ☿rio & ♀re, ut partibus ejus componentibus præstantioribus, adeoque *Ungarica*, utpote quæ naturæ ☉laris. Eam reliquis præfert *Frid. Hoffmannus Clav. Pharmaceutic. Schroderian.*

CAPUT XXIII.

Cinnabaris Mineralis, seu Minii Naturalis præparationem docet.

Minium depurandi & expoliendi modum veteres duplicem habuerunt, loturam scilicet & cocturam. Priorem *Plinius hist. nat. lib. 33. cap. 7.* his verbis explicat: *Optimum verò supra Ephesum Cilbianis agris: arenam cocci colorem habere: hanc teri, deîn lavari farinam, & quod subsidat, iterum lavari: differentiam artis esse, quod alii Minium faciant prima lotura: apud alios id esse dilutius, sequentis autem loturæ optimum.* Hanc Minii (quod ex arena quadam rubra, in argenti fodinis reperta, primus *Callias Atheniensis*, aurum ex ea sperans, quia splendebat, fecit) conficiendi rationem *Ephesii* tenuerunt, quam *Plinius* è *Theophrasto*, ut multa alia, transcripsit; quod tamen nativum potius, quàm factitium appellandum est, quia & Theophrastus αὐτοφυὲς dicit. Posterioris meminerunt *Dioscorides* & *Vitruvius* l. c. illudque fornacibus in florentissimum flagrantissimumque colorem picturæ gratiâ permutari tradiderunt. *Plinius* quoque *hist. nat. lib. 33. cap. 7.* inquit: *Sisaponensibus autem miniariis sua vena arena sine argento excoquitur.* Hoc coctura purius reddiderunt. Multi contrà non coxerunt illud, & tamen optimi coloris fuit; quod nihil mirum videtur, cùm in multis miniariis metallis adeò purum ac floridum conspiciatur ut nullâ egeat coctione; in qua certè timendum quoque est, ne vasis, in quibus coquatur, apertis, aliqua ejus pars propter ignium vim evolet, obstructis, totum in

☿rium

Idcircò nos quoque in medicinis internis uſum illius non libenter admittimus, licèt quidam Chymiatri in contumaci lue *Gallica* pilulas ex Cinnabari compoſitas eſſe ſcribant. In medicamentis pariter externis illius uſum quoque libenter non laudamus. Quidam tantummodò Medici & empirici potiſſimum illo utuntur cum ligno alöes, mirrha, thure, ladano & ſimil. his enim ſimul permixtis morbo *Indico* correptos ſuffiunt; hoc ſuffumigium bis, ter & quater adhibent, donec copioſum ſputum ab ore patientis exeat, vel donec alvi fluxus excitetur. Verum ſuffumigium illud eſt ruinoſum, eſt lethiferum, cum multos ſtatim in tremorem & paralyſin incidiſſe, alios interiiſſe viderimus. *Joh. Dan. Horſtius Pharm. Galeno-Chemic. Catholic. tom.* 1. *lib.* 7. *part.* 1. *cap.* 14. Venena metallica à veteribus dicta ſunt; ☿rius, lithargyrium, color laſurinus, ærugo, ſcoria ferri, crocus ♂tis, plumbum uſtum, Minium, ceruſſa, Cinnabaris; aſt innocentiam horum, excepto ☿rio ſublimato, ærugine internè adhibitâ, & fumo Cinnabarino ſatis propugnat *Joh. Hisk. Cardilucius* Officin. *Sanitat. cap.* 88. *pag.* 355. Denique in ſcabie ab ulceribus, etiam contumacibus & rebellibus aliquando uſurpatur, ſi cætera præſidia nihil contulerint. Confer. *Franciſci Joelis Oper. Medic. tom.* 5. *lib.* 2. *ſect.* 3. & *Jul. Caſ. Baricelli lib.* 4. *de hydronoſa natura cap.* 2.

CA-

mores acidos, acres, austeros, & in coagulum abeuntes liquante & fundente, excellentissimâ prædita.

Coquitur etiam Cinnabaris nativa pulverisata aquâ purissimâ in tigillo alembicato, ut fumus evanescat metallicus in auras; hæc coctio sæpius iteranda, & pars subtilissima supernatans à scoriis separanda est. Postea in vas argenteum infunde, accenso spiritu vini sæpius superfuso, & usui reserva. Hoc modo Cinnabaris depurata potest adhiberi; quæ enim scorias deposuit, probatior est.

Deindè hæc etiam pulverisatur, vel teritur, affunditur aqua simplex, vel rosarum, boraginis, agitatur liquor, qui secum partes subtiliores & puriores continet, decantatur, quibus subsidentibus in fundum, ipse iterum decantatur, repetitâ pro re nata elutriatione, & exsiccatur postmodum, quod hoc modo acquisitum subsedit. Hæc Cinnabaris nativa selectior, inquit Excell. *Dan. Ludovici Pharmac. dissertat.* 1. *pag.* 351. aut à saxo adhærente per trituram & elutriationem separata citra aliud artificium, idonea est usibus medicis.

Hujus præparationis autor videtur esse *Callias Atheniensis* si enim locum *Theophrasti lib. de lapid. pag.* 12. accuratius examinemus, sensum ipsius non deprehendemus, compositionem Cinnabaris artificialis pictorum inventam esse à *Callia*, sed solùm modò illud artificium, quo Cinnabaris nativa usitato hodienum & quidem optimo modo, mediante aquâ depuratur, cujus terminus usitatus est: Schlemmen. Affunditur nempè Cinnabari pulverisatæ aquæ simplicis, vel rosarum, borraginis q. s. triplum v. gr. vel quadruplum, hînc motione factâ, ut subtiliores partes in aquam diffundantur, in aliud

vas

☿rium vertatur. Qui lento igne illud coxerunt, illigârunt faciem laxis vesicis, ne in respirando exitialem vaporem traherent, & tamen ut per illas spectarent.

Sed quænam est causa, quod hodiè Minium illud pictores ad sumptuosa parietum ornamenta non adhibeant, cùm olim magni usus in illis fuerit, & nunc esse possit? Hæc: quòd Chymistæ factitium, quod aliàs Cinnabaris illis dicitur, in ejus locum substituerint, quod ex argento vivo & sulphure conficiunt, cùm tamen nativum magis sit eligendum, dum pulcherrimus ille factitii rubor ♀ris fœditate nonnihil corrumpi possit.

Verùm enim verò modus hic Minium depurandi & expoliendi veteribus fuit frequens; nos de modo Cinnabarin mineralem, seu Minium naturale ita præparandi, ut ex veneno saluberrimum præstantissimum nobilissimumque fiat medicamen, saltem in hoc *capite* sumus solliciti.

Ista ergò Cinnabaris mineralis, seu Minii naturalis præparatio quadruplici modo fit, tostione nimirum, sublimatione, coctione & lotione. Cinnabarin nativam, quæ est radix & minera ☿rii, torret *Dan. Sennertus Med. Practic. lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 31. super ignem lentum in tabula.

Postea subtilissimè terit super marmore in pulverem impalbabilem. Eam per sublimationem sexies vel ultra rectificat Dn. D. *Joh. Michaelis* apud *Frid. Hoffmannum in Clav. Pharmaceutic. Schroderian. lib.* 3. *cap.* 16. Et hæc Cinnabaris nativa *Ungarica*, inprimis ☉laris, tùm sibi relicta, tùm sublimatione depurata, teste *Georg. Wolffg. Wedelio Pharm. lib.* 2. *sect.* 3. *cap.* 4. tutò in corpus propinatur, vi cephalicâ, nervinâ, absorbente humo-

copoëia Londinensium aloë lota dicitur depurata.

Ex hoc etiam facilè liquet, liquorem ad lotionem requiri insipidum, aqueum, vel etiam, si velimus, destillatum, corroborantem, tùm frigidum, tùm calidum. Sic, quod exempli loco etiam inservire potest, ☿rius dulcis non opus habet, ut toties sublimetur, sicuti vulgò id præcipiunt, ut vel decies id fiat, sufficit unâ vice id præstari, modò hînc remotis impuritatibus, præsertim in superficie adhærentibus, pulverisetur, & lotione aquæ calidæ, si quæ insunt adhuc particulæ salinæ acres, elutrientur, factâ dehînc debitâ exsiccatione. Atque hæc Cinnabaris præparatio requiritur, antequam usus ejus in medicina salubris esse possit.

CAPUT XXIV.

Cinnabaris Mineralis, seu Minii Naturalis præparati vires admirandas in genere perlustrat.

TAntæ Cinnabaris hujus mineralis, seu Minii naturalis præparati sunt vires, ut etiam cum auro certet. Auro Cinnabarin nativam pretiosiorem putat *Josephus Quercetanus Tetr. graviss. capit. adfect. cap.* 33. in ea enim latent egregia arcana contra infinitos affectus internè adhibenda. Hînc ea selectior, censente Dn. D. D. *Dan. Ludovici Pharm. pag.* 345. *&* 346. ☿riale quidpiam tutum, efficax & parabile est. Non quidem directè & per se diaphoreticum, sed bonum saltem ac polychrestum exaltatorium, multorumque concurrentium symptomatum præsens est deleterium; ut æque felicius,

M imò

vas decantatur, & quod in fundo ſubſidet alcohol, tanquam Cinnabaris optimè depurata & præparata adſervatur. Hunc proceſſum ſi cum modo *Calliæ* examinemus & conferamus, omninò convenire fatebimur. Meminit enim *Autor* apertè 1. Cinnabarin nativam recipi, & quidem illam, quæ friabilitate ſuâ arenæ ferè accedit, ac ſplendentem, quæ ſcilicet duræ & lapidoſæ ibidem memoratæ oppoſita eſt. 2. Collectam hanc in vaſis lapideis teri leviſſimè. 3. In vaſis æneis tritam lavari. 4. Quod autem ſubſidet, iterum ſumi, teri & lavari, ut prius, ἐν ὧπερ ἐστὶ τὸ τῆς τέχνης, *atque hoc eſt, quod ars confert.* Et paulò pòſt addit: γίνεται τὸ μὲν ὑφιστάμενον κάτω, κιννάβαρι, τὸ δὲ ἐπ᾽ ἄνω καὶ πλεῖον πλύσμα. *Fit verò, quod infra ſubſidet, Cinnabaris, quod autem ſupernatat, & plus eſt, lotura.* Quibus manifeſtè *quintum* indicat requiſitum hanc nimirum Cinnabarin ſubſidentem eſſe exſiccandam, & loturam ſupernatantem decantandam. Artificium verò hoc ipſe *Callias* invenit, quòd, cum propter ſplendorem putaret aurum in arena eſſe, illam ſtudiosè collegerit. Confer. *Miſcell. Curioſ. Germanic. Ann. 3. obſ. 105.*

Eſt autem ejuſmodi lotio in Cinnabari minerali admodum neceſſaria. Spiritus namque ☿riales pravos primùm ſubigit, omnemque acrimoniam tollit & edulcat, ſicuti terebinthina magis lotione miteſcit, & terra ⊖-li dulcis frequenti lotione & elutriatione fit. Ejuſmodi deindè lotio Cinnabarin mineralem depurat, quemadmodum aloë lavari poteſt, ut ſolvantur nimirum in liquore partes puriores, aliàs aloë lota nullius eſt uſus; relinquitur enim cadaver pro corpore, umbra pro re, ſordes & fæces pro vino; undè quoque rectè in *Pharma-*

copœia

copoëia Londinensium aloë lota dicitur depurata.

Ex hoc etiam facilè liquet, liquorem ad lotionem requiri insipidum, aqueum, vel etiam, si velimus, destillatum, corroborantem, tùm frigidum, tùm calidum. Sic, quod exempli loco etiam inservire potest, ☿rius dulcis non opus habet, ut toties sublimetur, sicuti vulgò id præcipiunt, ut vel decies id fiat, sufficit unâ vice id præstari, modò hînc remotis impuritatibus, præsertim in superficie adhærentibus, pulverisetur, & lotione aquæ calidæ, si quæ insunt adhuc particulæ salinæ acres, elutrientur, factâ dehînc debitâ exsiccatione. Atque hæc Cinnabaris præparatio requiritur, antequam usus ejus in medicina salubris esse possit.

CAPUT XXIV.

Cinnabaris Mineralis, seu Minii Naturalis præparati vires admirandas in genere perlustrat.

TAntæ Cinnabaris hujus mineralis, seu Minii naturalis præparati sunt vires, ut etiam cum auro certet. Auro Cinnabarin nativam pretiosiorem putat *Josephus Quercetanus Tetr. graviss. capit. adfect. cap.* 33. in ea enim latent egregia arcana contra infinitos affectus internè adhibenda. Hînc ea selectior, censente Dn. D. D. *Dan. Ludovici Pharm. pag.* 345. *&* 346. ☿riale quidpiam tutum, efficax & parabile est. Non quidem directè & per se diaphoreticum, sed bonum saltem ac polychrestum exaltatorium, multorumque concurrentium symptomatum præsens est deleterium; ut æque felicius,

imò ſecurius revera-curabilia (inter competentium acceſſum) percurari tantiſper queant citra vulgatiorum ☿rialium, (plerumque ſaltem tranſcriptorum) remiſſas aut infidas experimentationes, vel ſecretiorum operoſiores perquiſitiones. *Idem* pariter *pag.* 351. & 352. Cinnabaris nativa ſelectior, aut à ſaxo adhærente per trituram aut elutriationem ſeparata, citra aliud artificium, quam diuturno (donec paucis abhînc annis magis nunc increbreſceret) uſu præſtantiſſimum ac ſecuriſſimum ☿riale paulò antè laudavimus, non ſolùm diaphoretica modò dicta notabiliter exaltat, ut v. gr. ſimplex bezoarticum minerale, debitâ hujus proportione tinctum, ſæpè pro ☉lari æſtimatum fuerit. Nec epilepticis tantùm (etiam recens natis,) ſi unquam quidquam inter ejuſcemodi ſpecifica, (in ſufficienti tamen ubique doſi) benefacit; verùm etiam hyſtericarum (ne opiatis quidem placandarum) colicorumque tormina, vertigines, vagas arthritides, dentium aliarumque nevoſarum partium dolores, cutaneoſque affectus complures, &c. ſolitaria vel præcipitantibus aliiſve ſpecificis ſociata) evidenter lenit atque tollit; in phantaſiæ inſuper vitiis, morbillis, petechiis, plurimum confert.

Cinnabrium nativum *Frid. Hoffmannus meth. med. lib.* 1. *cap.* 19. vocat ☿rii radicem & mineram, illudque magnarum eſſe virium adfirmat.

De Cinnabari nativa, ob ♀ur illius anodynum effectus notabiles ſe vidiſſe aſſerit Excell. *Wedelius de Medicam. facult. lib.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 10.

Vi cephalicâ, nervinâ, abſorbente humores acidos, acres, auſteros, & in coagulum abeuntes liquante & fundente, excellentiſſimâ prædita eſt. *Idem Pharm. lib.* 2. *ſect.* 3. *c.* 4.

Cin-

Cinnabari nativâ fluxiles redduntur humores; in coagulum abeuntes; tenues nimis & acres corriguntur; ut indè quod ultra Cinnabarin & opium acrimoniam & dolores æque tollat, vix aliud sub sole reperiatur. *Idem Pharmac.lib.2.sect.5.cap.3.*

Hæc, qur temperatum obtinens; demulcet; acrimoniam mitigat; acorem absorbet; dolores figit, capitis doloribus; nervorum irritationi ac doloribus quibuscunque subvenit. *Idem de Medicam: facult.lib.1.sect.1.cap.2.*

Hæc usum habet ad absorbendos & diluendos humores acres, irritantes membranas, spiritus efferatos ligandos; sopiendos & demulcendos, porisque quatenus acorem absorbent, libertatem conciliandum: *Idem de Medicam. facult. lib. 1. sect. 3. cap. 1.*

Quænam verò sit eligenda; cruda, an verò præparata, præprimis dispiciendum est. Crudam per se, & citra ullam præparationem aliam, quàm quâ naturæ coctionibus temperata est; ut remedium nobilissimum; & admirandarum virium adversus multos morbos; admittit *Joseph. Quercetanus l. c.* Eam pariter Excell. *Joh. Michaelis* approbavit, sed depurata esse debet; sicuti quoque nos in quibuscunque remediorum formulis; & ubi usus illius requiritur internus; semper depuratam atque præparatam intelligimus; quæ enim scorias deposuit, probatior existit; quomodo autem optimè depuretur, jam diximus. Hæc quippè depurata; in desperatissimis etiam morbis; cum multorum symptomatum congerie stipatis, maximi, ob notabilem ejus effectum; æstimanda est. Et sanè mirandum est, quòd usum ejus internum; præterquam quod antepilepticis nonnunquam permisceatur; non

melius, ut Chymicus clariſſimus, *Schroderus* intellexerit.

Licèt enim directè & per ſe non ſit diaphoretica, polychreſtum attamen, exaltatorium, & præſentiſſimum aç ſecuriſſimum alexiterium eſt. Imò tale medicamentum eſt, quod in infinitis ferè adfectibus ſine pari reperitur.

Sunt nihilominus, qui tàm hujus Cinnabaris nativæ quàm ♁nii uſum internum admodum ſuſpectum habent. Cinnabaris ♁nii, dicunt, aquâ calente diſſoluta, abit in pulverem niveum ejuſdem generis, quod eſt ☿rius vitæ. Nativa facili negotio in ☿rium currentem, & ſic iterum in Cinnabarin convertitur. Et hînc cum utraque priſtinam retineat naturam, eadem etiam excitare poſſunt ſymptomata, quæ ☿rius, ſive crudus, ſive præparatus. Verùm enim verò hæc in contrarium adducta argumenta contra Cinnabaris tàm nativæ, quàm factitiæ ♁nii uſum internum tanti non ſunt ponderis, ut cordatum Medicum ab ejus uſu interno deterrere queant. Nam primò Mechanica iſta de Cinnabaris ♁nii per aquam calentem tranſmutatione in ☿rium vitæ album falſa eſt. Et poteſt hoc ipſum quilibet experiri. Deindè, poſito, ex nativa Cinnabari facili negotio ☿rium elici; id quod etiam verum eſt; quid tùm poſtea? Mercurius ſiquidem cum 🜍re ♁nii ligatus, in Cinnabari ſui non eſt juris, ſed hujus compedibus ligatus à turbis iſtis gravioribus, quas vel liber, vel ⊖libus corroſivis irretitus concitare ſolet, jam planè immunis exiſtit, & illuſtres illas dotes obtinet, quibus etiam contagioſis, epidemiiſque morbis ipſique peſti exterius appenſus) ſingulari proprietate reſiſtit. Et quamvis Cinnabaris hæc adſumpta minimè ventriculi digeſtioni

ni pareat, neque in corporis noſtri œconomiam recipi poſſit, adſumpta tamen quamdiu hæret in ſtomacho, Archeum noſtrum alterando variè mireque afficit. Ab utroque, ♀re nimirum ♁nii & ☿rio vim anodynam & ſpecificam, veneni epileptici domitricem, obtinet. Horum ſingula quidem in lue venerea ſcabieque maligna conferunt, aſt ab iis conjunctis longè uberius eſt exſpectandum, etiam in ſuffocationis hypochondriacæ (hyſtericæ) ne opiatis ſæpè ſedandæ, & colicæ torminibus placandis, in arthritide vaga, phantaſiæ vitiis, morbillis, variolis, &c. Et tandem, ſi qua interdum noxa ab ejus uſu orta, certè non ipſi per ſe & directè, ſed vel minus ritè præparatæ, vel inconvenienter in uſum ductæ, erit adſcribenda. Et ſic erit tanquam gladius in manu furioſi.

Cinnabarin hanc mineralem, ob virtutem ejus ineffabilem ferè in omnibus affectibus cephalicis, ex *Cratone* præprimis epilepſiæ magnetem vocant *Dan. Sennertus Med. Practic. lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 31. *Laz. Riverius Med. practic. lib.* 1. *cap.* 7. *Phil. Grülingius Florileg. Chymic. part.* 13. *cap.* 1. & alii, ex eaque pulveres egregios epilepticos parant. Verùm cum ipſum *Cratonem* diligenter conſulimus, nuſpiam hæc invenimus. In *Conſiliis* æque ac Epiſtolis varia diverſaque medicamenta contra epilepſiam enumerat, ſed hujus ne verbo quidem mentionem facit. Ipſum potius valdè dubium eſſe in Cinnabaris laude adverſus epilepſiam deprædicanda deprehendimus. Nam in *Epiſtolis Medicinalibus* à *Laur. Schultzio* editis, & quidem *epiſtol.* 137. de vi magnetica adverſus epilepſiam, inquit, in nativa Cinnabari, quam Minium quidam appellant, valdè dubito. Et eam *epiſtol.* 168. in epilepſia ab empirico

quodam adhibitam damnat, & dicit, se istud non imitaturum, etsi omnes homines ipsi authores essent, cum robusta etiam corpora vix illius usum ferre queant. Et procul dubio hoc facit ex mente *Erasti*, qui *epistol.* 271. *ad Monavium* ☿rium & alia medicamenta ex metallis præparata non temerè adhibenda suasit, quovis modo etiam fuerint præparata. Sic etiam *consil.* 42. ait: Medicamenta de Cinnabari non præscribo, cùm *Joh. Fernelius in libro suo de Lue vener.* tam dira symptomata usum Cinnabaris consequuta referat. Statim tamen addit: mihi nequid dissimulem, non persuadet, cum bono successu me illâ usum fuisse. *Viennæ* verè affirmare possim. Verum quamvis *Crato* Medicus sui temporis fuerit cæteroquin ob eximiam ac multijugam artis medicæ peritiam valdè conspicuus, summus tamen Jatro-Chemiæ non fuit Dictator, sed & alii post eum fuerunt longè celeberrimi. Nullum tamen est dubium, si in hæc tempora incidisset, quin saniorem etiam medicinam cum aliis jam excoluerit. Licèt etiam de Cinnabaris Magnetismo in epilepsia in ejus monumentis nihil reperiatur, studio tamen illud ipsum factum fuisse censendum est, dum Medici sæpius experimenta sua celare solent, ne ita prostituantur, ac vulgaria fiant; nec arcana facilè sunt illis patefacienda, qui adeò sunt improbi, ut ignorantiam suam non incusent, sed veritatem negent, ac eos, qui suâ industriâ adinvenerint, irrideant. Verum sicuti hæc meræ sunt conjecturæ: ita nihil certi concludunt. In historia, quam ex *Fernelio* adducit, dubium æque manet, utrum pictor ex Cinnabari nativa, an verò ex aliis rebus noxiis suis pigmentis v.gr. auripigmento, &c. mistis in dicta symptomata incurrerit; deindè fateri

teri quoque cogimur, vaporem ☿rii, inprimis cum ♄no adulterati summè noxium esse, id quod tamen de ☿rio & ♀re invicem ligatis affirmare non possumus. Communi insuper & factitiæ Cinnabari non fidendum etiam semper est, cum sæpè, ut fiat rutilantior, adjecto arsenico præparetur. Interim Cinnabaris hæc nativa, ut etiam ♁nii, ob stupendam earum efficaciam in infinitis adfectibus demulcendis summo in æstimio habenda est.

CAPUT XXV.

Modum, quo Cinnabaris Mineralis præparata suam absolvit operationem, exprimit.

VEntriculi digestioni minimè paret Cinnabaris mineralis, neque in corporis nostri œconomiam recipi potest, adsumpta tamen, quamdiu hæret in stomacho, Archeum nostrum alterando variè mireque afficit. Hæc igitur odoretenus, aut nudo tantùm aspectu variis mirisque modis nostrum alterat Archeum; hinc ut terra mineralis lapidescens à calore nostro atteri, & in actum deduci nequit; & ita substantiâ eâdem, & modo eodem, quo assumitur, eodem etiam immutata rejicitur; alimentum enim non est, quod in corporis nostri œconomiam distribuitur, sed medicamentum, quod licèt corporis nostri meatus non penetrare valeat, variè tamen mireque Archeum ventriculi nostrum alterando afficit, ut in morbis curandis sæpè præstet miracula. Nec obstat per alvinam regionem sæpè eodem, quo assumptum fuit, pondere & modo iterum ejici, nihil tamen hoc derogat salu-

tari illius effectui. Non solùm Cinnabaris nativa, sed etiam Bezoardicum martiale, solare, lunare, specificum cephalicum *Ioh. Michaëlis*, & omnes gemmæ præparatæ, eodem etiam modo, quo assumpta fuerunt, dejiciuntur, & tamen sæpè maximæ sunt energiæ. Ejusmodi namque medicamenta mineralia citra sui dissolutionem, citra sui penetrationem, & immutationem, liberè, imò etiam eminus operantur in sopitum vel succensum Archeum, solo quasi sui aspectu, irradiatione, vel ejaculatione suarum virium in medio productarum, retentis adhuc pristinis & non mutatis pondere & proprietatibus.

Modum hunc agendi Cinnabarinum eleganter illustrat ☿rius diaphoreticus. Hic nihil aliud esse videtur, quàm Cinnabaris quædam, cui 🜍ur internum ⊖-li ♀ris fuit affusum, & ita fixatum est; à 🜍re enim hoc ☿rius veluti servus fugitivus ligatur, & 🜍ur ejus intrinsecum detegitur. Hic etiam omnem aspernatur digestionum laborem. In superficie ludit dulcedo ejus 🜍ris, pars autem ☿rii per 🜍ur obtecta externum, latet, nec operatur, nisi per speculum lucens trans 🜍ur, & sic Archeum non solùm sui ad lubitum affectat, sed & insensibiliter fermentorum peregrinorum immutatione, abstersione & ablatione spirituumque seu virium restauratione potens est.

Cinnabarin ☿rii potissimum ligaturâ & dispositione agere scribit Excell. *Dan. Ludovici Pharm. dissertat.* I. *pag.* 340. Et vix in stomacho vel pusionum observatione resolvitur, uti disserit *pag.* 352. sed incomprehensibili ferè, nec tum determinato contactu desubito sæpè, cum consimilibus aliis, quod suum est, agit. Et in Cinnabari principium

mul-

multæ energiæ 🜍ri puro adſcribit Dn. D. *Georg. Wolffg. Wedelius Pharmac. lib. 2. ſect. 5. cap. 3.* Sulphura namq; pura abſorbent, diaphoretica, nervina & anodyna ſunt. Naturæ hæc noſtræ ſunt amica, & humoribus acidis atque acribus inſigniter dicata. Abſorbent igitur hos, ſi quæ alia, edulcant, ſaturant, figunt; undè quies optata laſſatis ſpiritibus & membris exoritur, dolores omnes conticeſcunt, & acrimonia irritans nervoſum genus & membranoſum ſopitur, ac annihilatur. Exemplo ſit vel unica Cinnabaris nativa eſt ♁niata. Sic etiam *lib. 2. ſect. 6. cap. 8.* 🜍ris & ☿rii ligaturæ omne operationis principium tribuit. Cinnabaris, inquit, nativa, ſi arenoſa & ſaxea abſit, & ſecludatur, ubi opus, ſubſtantia, non eget menſtruo, ut extrahantur, vel ſolvantur partes, ſed qui vires, quas poſſidet, utiliter impendere geſtit, eo modo, quo natura illam miſcuit, uti eâdem opus eſt, cum nec in 🜍re ſolo, nec admixtis partibus ſolaribus, vel aliis ſolis eædem reperiantur, ſed ex utriuſque mixtione reſultent.

Simili ferè modo remedia à *Galeno* appropriata dicta, mortalibus gratis à ſumma bonitate data, quamque plurima ferè inſipida, quorum virtutes nec odore, nec ſapore, ſed ſolâ experientiâ cognoſcuntur, ſolùm in ſtomacho officium ſuum peragunt adminiſtrantque, ubi prudens, acidus, mollisque ignis, cuncta in corpore gubernans ea cognoſcit, amplectitur, eorumque vires ad partes affectas dirigit.

Sic oſtiocolla pulveriſata parvaque in quantitate ore aſſumpta oſſa fracta celerrimè conglutinat, quia acidum ſpecificum ibidem putrefactivum ſolutum ſorbendo coagulat: ejus tamen pulvis ad fractum os non perreptat; eò enim pervenire non poteſt;

 opor-

oportet itaque, ut in ſtomacho ſuum officium peragat, adminiſtretque; illicò nempè ibi cognoſcitur à prudenti molli igne, ut gratus hoſpes in hoc caſu, cujus ignis ope lapidis divinum feſtinat ad individui conſervationem, quod poſtea lubens amplectitur natura, ut quid ſibi conveniens & concordans. Sic etiam dens apri pulveriſatus, & per os aſſumptus pleuriticos mirè ſublevat; idem præſtat & hirci ſanguis, ut & tauri vel cervi priapus carptus vel pulveriſatus; quæ omnia ferè ſunt inſipida; non ideò quòd pleura ſit amica priapo, ut quidam cenſent; ad pleuræ enim membranam priapus non admittitur: ſed argutus prudenſque judex in ſtomacho ſedens ejuſmodi appropriata medicamina cognoſcit, eaque amplectitur, dirigitque, ut furioſum acidum inviſibilis mollis ignis radium diſſolutum & putrefactivum coagulent, tranſmutent, contemperent, dulcificent, permiſceant, atque per urinam tandem educant. Vid. *Ottonis Tachenii Tr. de Morbor. Principe cap. 9. pag.* 125. 126. *&* 127.

CAPUT XXVI.

Solius Cinnabaris Mineralis præparatæ uſum, nec alia medicamenta Spagyrica ex ea eſſe paranda ſuadet.

SImplicitatem amat natura: hoc deprehendimus certum in Cinnabari noſtra minerali, ubi melius ſalutariuſque judicamus eam ſaltem præparatam uſurpare, quam ſpiritum, tincturam, elixir, crocum, flores, magiſterium, &c. ex ea ſpagyricè prolicere, iſtaque ægris infelici ſæpè cum ſucceſſu exhibe-

hibere, ficuti non pauci faciunt, qui ex uno medicamento fimplici, minerali, animali aut vegetabili tot medicamina fpagyrica ex cerebro fuo fingunt, quot dies funt in anno. Nobis fanè ex arte Chymica non erit difficile ex ea quoque varia medicamina fub variis formis parare: nec nobis ignotum erit Cinnabarin vario modo divellere & alterare: principia ejus, ♀ur & ☿rium per menftrua corrofiva difcontinuare, feparare, ac iterum unire; verùm nobis femper cum accuratioribus Chymicis ac Medicis unica Cinnabaris mineralis præparata placuit, quæ tantas in iñumeris verè morbis profligandis præftitit vires, ut eam in alias formas transmutare non defideraverimus, præfertim cùm nos non lateat, quod hujus virtus, fi manere debet integra, per partium ejus ♀rearum & ☿rialium feparationem, ut & per acida & alcalia factam inverfionem deftrui non debeat. Cum enim Cinnabaris nativa omnem digeftionum ventriculi ac inteftinorum actionem fubterfugiat, ut in corporis noftri œconomiam diftribui nequeat, fed vel odoretenus, aut nudo faltem afpectu varieque mireq; noftrum alteret Archeum, non eft, ut per artem fpagyricam nimium à nativa fua abducamus indole, vel per naturam unita & conjuncta feparemus, dum acidorum abftractione tàm alteratur, quàm intervertitur ejus virtus. Neque ♀rea ejus pars per alcalia digerenda, nec per principiorum fuorum diffolutionem in Præcipitatum Diaphoreticum redigenda.

CAPUT XXVII.

Præcipitatum Diaphoreticum Hartmanni, cujus basis Cinnabaris Mineralis Vngarica est, perscrutatur.

PRæcipitatum quendam Diaphoreticum descripsit celeberrimus ille Chymicus *Joh. Hartmannus comm. in Basilic. Chymic. Crollii pag.* 414. *& seq.* cujus basis Cinnabaris mineralis *Ungarica* est; quem medicinam universalem appellat, cujus granum unum, vel ad summum duo in vehiculis convenientibus, in quolibet morbo exhibita, balsamum internum, ad expellendum intrò hospitantem hostem, vel per vomitum, vel per alvum, vel per sudores, mirificè adjuvant.

Hujus autem præcipitati Diaphoretici processus duo requirit: primum est, ut in sua principia Cinnabaris solvatur: alterum verò, ut principia illa purificata denuò conjungantur. Illum satis prolixum exhibet Hartmannus; quem brevioribus autem sic habet *Joh. Schrod. Pharm. Med. Chym. l.* 3. *c.* 16. Solve sensim Cinnabarin (*Ungaricam*) in magna quantitate spir. ⊖ lis comm. supra ⊖ l gem̃æ ana igne fortissimo cohobati: (coloris hic erit rubicundissimi) Solutionem à ♀re combustili supernatante, ut & à fœcibus residentibus separatam destilla ex cucurbita in arena, & exstillabit menstruum, principiis Cinnabaris in cucurbita relictis, quæ hâc operatione apta reddita separationi: Abstracto igitur menstruo, igneque aucto, ☿rius albissimus ascendens lateribus cucurbitæ adhærescet, manentib. in fundo ♀re & ⊖ le communi. Collige ☿rium dictum

seor-

ſcorſim, purificaque quàm optimè; videlicet 1. ſolvetur ☿rius, ebulliendo in aceto deſtillato, hînc ſolutio à fœcibus ſuis decupelata committatur deſtillationi, ut acetum deſtillatum abſtrahatur 2. procede eâdem ratione cum ☿rio remanente, adhibeque loco aceti deſtillati pluviam, vel rorem majalem ſtillatitiam, idque ter vel 4. donec nimirum ☿rius planè albiſſimus remanſerit. Hunc digere cũ ſpiritu vini rectificatiſſimo per menſem. Interea ſepara reliqua principia, (🜍ur & ⊖ l commune) & clarifica. Nimirum ⊖ l commune elixivietur ſ. a. affusâ aquâ pluviâ ſtillatitiâ calidâ, depuratumque digeratur cum ſpiritu vini, tandem ſpiritu vini ad apparentiam cuticulæ ſupernatantis abſtracto ſinatur coagulari. Sulphur itidem aliquoties cum aqua ſtillatitia calida lotum & exſiccatum, ſimili modo cum ſpiritu vini digere, eundemq; poſtea abſtrahe.

Poſteaquam itaque ☿rius in ſpiritu vini ſufficienter fuerit digeſtus & ſolutus, (rubeſcit enim totum illud compoſitum eleganter,) deſtilla ex retorta in excip. capaciſſ. igne arenæ gradatim adhibito, eliceque primò ſpiritum vini, hînc urge, & prodibit ſpiritus ☿rii (hînc indè ſeſe extendens, & ſublimans inſtar cryſtalli.) Peractâ deſtillatione relinque per horas 24. Sic ſolvetur ſpiritus ☿rii cryſtalliſatus in ſpiritu vini. Separato tandem ſpiritu vini in MB. remanet ſpiritus ☿rii in fundo cineritii coloris.

Habitis his principiis, ad conjunctionem progrediendum eſt. Solve Cinnabar. *Ungaric.* ℥vj. Spir. ⊖ lis comm. in ⊖ le gemmæ acuato, ut ſupra, ſequeſtratisque fœcibus ſolutionem decantatam deſtilla ad oleoſitatem; hînc affunde recentem ſpiritum, viciſſimque deſtilla, idque fac 5. vel 6. vicibus.

cibus. Poſtea digere in MB. ☍ (14.) Tandem abſtrahe igne ∴ donec ſpiritus albicantes prodire inceperint, tunc mutato excipulo cape eos ſimul cum aqua, urgeque aquam uſque ad ignitionem vaſis; aquam hanc ſerva. In hujus aquæ ℥vj. ſolve ⊖ l communis ſupra facti ℥ij. ac circula aliquandiu in MB. Poſtea imprægna ♀ris ℥ß. aqua illa, in qua ⊖ l. commune ſolutum, idque per vices (ſemper affundendo ℥jß) donec ⊖ l. com. ℥j. cum ♀re fuerit copulata (ex pondere id cognoſcere licet,) ac ex ambobus factus ſit viſcoſus quidam liquor. Hujus ℥ß. adde ℥ij. Spir. ☿rii ſupra præparati, inque phiola H. cl. digere in Athanore, prudenter adhibitis ignis gradibus, donec omnia in pulverem rubicundum fuerint verſa; id fiet menſibus tribus vel quatuor. Pulverem hunc corrige cum ſpiritu vini & ſerva.

Medicamentum hoc nihil aliud eſt, quàm Aſtrum ☿rii, quod cum ☉le nonnulli etiam conficiunt. Verùm, qui Cinnabarin ☉larem habent in præparatione hujus additione ☉lis ſuperſedere queunt. Hoc medicamentum Cinnabarinum *Haſſiæ* Principibus fuit olim in uſu ſingulari, & filio Regis *Daniæ*, Duci W*oldemar*, illudque tanquam panaceam & medicinam univerſalem reſervârunt. Sed cum Cinnabaris digeſtionum ventriculi atque inteſtinorum actionem omnimodam ſubterfugiat, ut in corporis noſtri alimoniam abire nequeat, verùm vel odoretenus, aut nudo ſaltem aſpectu variis miriſque modis Archeum noſtrum alteret, ſane non erit utile, ut per artem ſpagyricam nimium à nativa ſua indole abducamus, vel per naturam unita & conjuncta ſeparemus, dum acidorum abſtractione non tantùm alteratur, ſed etiam invertitur ejus virtus; quod pariter in Præcipitatæ Cinnabaris Diapho-

phoreticæ & Catharticæ, cujus *Joh. Beguinus Tyrocin. Chymic. lib. 2. cap.* 13. meminit, per acidorum abstractionem, præparatione videmus. Neque pars ejus ♀rea ver alcalia digerenda, nec per principiorum suorum dissolutionem in præsens hoc Præcipitatum Diaphoreticum redigenda.

CAPUT XXVIII.

Cinnabaris Mineralis præparatæ dosin determinat.

CUm solius Cinnabaris mineralis præparatæ usus in medicina sit eligendus, atque cætera medicamenta, ex ea spagyricè parata fugienda veniant, dosis illius in curatione esse potest à granis IV. ad X. & XII. plus minusve pro ætatis & virium patientis discrimine, in vehiculis appropriatis & specificis, horis matutinis & vespertinis reiterandis, usque dum æger integram consequatur sanitatem. Illam pariter in dosi majori vel minori cum aliis pulveribus, electuariis, conservis, morsulis, rotulis, pilulis, potionibus, mixturis, balsamis, unguentis, aliisque medicamentorum generibus pro eorum quantitate vel majori vel minori ad Medici arbitratum cominisceri proficuum admodum erit. Pretium autem ejus non propriè ad Medicum, sed potius ad Materialistas, Pharmacopoëos & otiosa ingenia spectat.

CA-

CAPUT XXIX.

Medicamenta composita varia, quæ Cinnabaris Mineralis præparata ingreditur, enumerat.

CInnabaris hæc mineralis præparata in multorum variorumque morborum valdè gravium ac ferè desperatorum curatione, ut anodynum præstantissimum, palmam obtinet; hînc usus ejus per se non egregius solum est, sed laudabilis magis etiam fit, cum multorum medicamentorum compositiones ingrediatur, quibus basin firmissimam præbet.

Sic ex hoc fit Panacea Cl. *Hartmanni.* Huic Cinnabari correctæ, si addantur magisteria cordialia & epileptica cum fœcul. radic. poëon. fit indè Specificum Cephalicum laudatissimum celeberr. D. *Ioh. Michaelis* & Pulvis Epilepticus D. *Morbii* additis Smaragd. præp. C. C. sine ign. corn. alc. sin. ign. & Visc. corylin. q. s. Dosis à gr. v. ad ℈j. Quò spectat & Panacea *de la Vigué* Medici Regii *Parisiensis* quâ in morbis desperatissimis quasi miracula præstitit summo cum nominis sui & Rei familiaris incremento. Unicum granum hujus dedit pro corona Imperiali.

Ita pariter Species Diacinnabaris, quarum basis Cinnabrium nativum correctum est, præscribit *Hadr. Mynsichtus Thesaur. & Armam. Medic. Chymic. sect.* 5. quæ miram vim atque efficaciam habent in epilepsia & omnibus aliis morborum capitis periculosorum generibus, suntque tàm certissimum, quam secretissimum experimentum, quo

Deo

Deo aſpirante innumeros cæterorum medicinæ incurabiles hactenus, quantumvis eorum non paucos ad 9.10.11.12. imò 18. pluresque annos tali abominabili affectu laborantes, priſtinæ ſanitati perfectè feliciterque reſtituit.

℞. Cinnabar. nativ. præp. ℥ß. Lapid. ſtellar. præp. Corn. alc. ſpagyric. calc. ana ʒiij. Raſur. cran. human. part. anter. Viſci quercin. ana ʒij. Radic. & Sem. poëon. ana ʒiß. Spec. diamoſch. dulc. diambr. ana ʒj. Magiſter. perlar. oriental. corall. rubr. ana ʒß. Croci oriental. Ol. ſtill. ſuccin. alb. ana ℈j. Fol. auri No. xiij. Miſc. & fiat omnium pulvis. Doſis ejus eſt in curatione à ℈j. ad ʒß. & ℈ij. plus minusve, pro ætatis & virium patientis diſcrimine, in vehiculis appropriatis & ſpecificis, omnique manè reiterandis, uſque dum integram conſequatur ſanitatem.

Miraculosè certè, ob Cinnabarin nativam lunaticis, epilepticis ſeu comitialibus, vertiginoſis, lethargicis, ſubethicis, congelatis, maliſque cerebri frigidis conferunt Species Dialunæ, quas habet *Idem l.c.* ut & illis, quibus tumultuoſa inſomnia obverſantur, & incertis timoribus corripiuntur, ſuccurrunt. ℞. Radic. & Sem. poëon. debito tempore collect. Corn. alc. ſpagyric. calc. Mag. cran. human. ana ℥ß. Anim. lunæ ver. in forma pulveris, Bezoardici lunar. ana ʒiij. Cinnab. nativ. præp. Viſc. quercin. Squill. præp. ana ʒij. Secundin. exſiccat. mulieris primiparæ filium enixæ. Stercor. pavon. præp. ana ʒiß. ⊖ l. perlar. oriental. corallor. rub. ana ʒj. Caſtor. ver. Piper. long. Cubebar. ana ℈j. Moſch. laudatiſſ. Ambr. griſ. ana ℈ß. Miſc. & fiat omnium pulvis ſubtiliſſimus, cui adde: Ol. c. c. rectificat. ſuccin. alb. rutæ, nuc. moſchat. ana gt. x. Denuò

nuò misce, & ad usum repone. Dosis ejus in curatione est à ℈j. ad ʒß. in aq. epileptica seu apoplectica, vel alia conveniente in ipso paroxysmo. In præservatione autem datur in omnibus lunæ quadris, & in omni humida & minus constante aëris tempestate à ℈ß. ad ℈j. in aquis supra dictis.

Easdem vires habet Pulvis ejus Epilepticus; quem pariter Cinnabaris nativa ingreditur. ℞. Cran. hom. strangulat. & sin. ign. calcinat. ℥j. Visc. quercin. Cinnab. nativ. Ungul. alc. ana ʒß. Misc. & fiat pulvis; cujus ℈ß. pueris statim post paroxysmum datur; adultis vero ℈j. iteretur; certissimè liberat.

Præstantissimum autem in omnibus morbis peracutis, &c. diaphoreticum est Pulvis ejus Bezoardicus imperialis; qui Cinnabarin nativam correctam etiam in compositione sua recipit; & hinc omnes venenosos & vitiosos humores à corde & cæteris membris principalibus per sudorem egregiè pellit. ℞. Corn. alc. & cervi spagyric. calcinat. ana ʒiij. Boli rub. oriental. præp. Bezoartic. jovial. ana ʒij. Lapid. Bezoar, Terr. sigillat. ana ʒiß. Fl. ♀ris comp. Unicorn. animal. ana ʒj. Magister. perlar. corall. rubr. ana ʒß. Cinnabar. nativ. præp. Oss. de corde cervi, Succin. alb. præp. ana ℈j. Misc. & fiat omnium pulvis subtilissimus. Dosis ejus est à ℈ß. ad ℈j. in aquis appropriatis sudoriferis, vel in aqua seu decocto rasur. c. c.

Morsulos & Electuarium, ut medicamenta composita egregia, pituitam in capite digerentia, describit *Phil. Grülingius part. 2. de secund. universal. evacuat. gen.* quæ Cinnabaris nativa ingreditur eorumque vires majores efficacioresque reddit. ℞. Lign. rhod. aloës ana ℈j. Radic. angelic. ireos *Flor.*

ana

ana ʒß. doronic. ℈ij. Cortic. aurant. citri saccharo obduct. ana ℈iv. Macer. Cinamom. ana ℈iiß. Cubeb. ℈j. Cardamom. min. ℈iß. Corall. rubr. præp. Ebor. sin. ign. præp. ana ℈j. Ungul. alc. præp. Cran. human. præp. Hyacinth. præp. ana ℈iß. Cinnabar. ♁nii, nativ. Bezoartic. lunar. ana ℈ß. Essent. doronic. poeon. lil. convall. ana ℈j. Extr. majoran. meliss. auric. ursi ana ℈ß. doronic. gr. xv. Ol. lign. rhod. succin. rorismar. majoran. ana gt. v. Spec. diambr. compl. ʒj. Tinctur. lunæ gt. vij. Spir. fl. til. prim. ver. ana ℈j. Sacch. opt. solut. in Aq. fl. lil. convall. q. s. ℥xv. Fiant Morsuli pondere ℥ß. S. kräfftige Morsellen.

℞. Conserv. betonic. salv. majoran. ana ℥j. Condit. cortic. citri aurant. nuc. moschat. ana ℥iß. Spec. diambr. compl. diamosch. compl. dianth. ana ℈j. Corall. rubr. præp. ℈ij. Perlar. præp. ℈iß. Cinnab. nativ. ♁nii diaphor. ana gr. xv. Elix. Cephal. D. *Rolfinc.* ʒij. Mixtur. antidinic. ʒj. Ol. still. cinamom. gt. v. coriandr. ℈ß. Misc. & cum Sir. de stoechad. q. s. fiat Electuarium.

Cinnabaris hæc nativa, ut etiam ♁niata, sive solæ exhibeantur, sive aliis misceantur, ob stupendam earum efficaciam in infinitis adfectibus demulcendis, summo in æstimio habentur. Posthabitis aliis, unicum præ omnibus prostat Nobiliss. Dn. D. *Ioh. Michaëlis* Specificum Cephalicum; cujus basis Cinnabaris est nativa; quo multa millia ægrotantium adjuvit. Cujus compositio hæc est: ℞. Cinnab. nativ. *Armen.* per ♎tionem sexies vel ultra rectificat. vel Cinnab. ♁nii toties rectificat. ℥iij. Fœcul. radic. poeon. ℥iß. Mag. epileptic. ʒß. cordial. ʒij. Fol. ☉ri Nō. j. Misc. fiat Specificum Cephalicum.

Magiſterium Epilepticum ſic ſe habet: ℞. Ungul. alc. Cran. human. violentâ morte defunct. Corn.alc.c.c.ana ℥j. Smaragd. or.ver.℥ß. Unicorn. ver.ʒij. Pulveriſat. affunde Menſtruum ex ⊖le & ⦶tro præparatum q.ſ. ſolve & ſolutum ≂ ſpiritu ⊕-li, poſtmodum ≂ edulcora, & adde Mag. ſuccini ʒj.

Magiſterium autem Cordiale paratur ita: ℞. Corall. rubr. præp. Lapid. percar. ana ℥j. Raſur. ebor.c.c.ana ʒvj.Margarit.or.præp. ℥ß. Pulveriſat. cum dicto menſtruo ſolve, & Spir. ⊕-li ≂ tandem edulcora. Vid. *Frid. Hoffmanni Clav. Pharmaceutic. Schroderian. lib.3. cap. 16.* & *Theſaur. Pharmaceutic. ſect.16.*

Hic etiam *ſect.* 23. talem Pulverem Bezoarticum exhibet. ℞. Corn.alc.ſin.ign. Corn. cervi ſin. ign. ana ʒj. Ebor. ſin. ign. ʒij. Mag. ſpinar. viperar. ℈iv. dent. equi marin. ocul. ♋. matris perlar. ana ʒiß. Bezoardic. ☉lar. ♂tial. ana ʒß. Oſſ. de corde cervi ℈ij. Cinnab. ♁nii rectificat. nativ. *Armen.* ana ʒij. Fol. ☉ri Nō.v. Miſc. fiat pulvis, adſperge Spir. baccar. ſambuc. q.ſ. Doſis eſt à ℈ß. ℈j. ʒß. ad ʒj. in appropriato vehiculo.

Pulveres antepilepticos tres egregios deſcribit *Caſp. Theophil. Bierlingius in Appendic. var. tàm Chymic. quàm alior. Medicam. cap.*20. quorum primus eſt Regis *Daniæ*, alter Dn. *Heidleri*, & tertius D. *Lujæ.*

℞. Radic. poëon. ʒij. pyrethri ʒj. calam. arom. diptamn. ana ʒij. ⊖ l. volatil. cran. hum. c.c. hirund. ana ʒj. Coſtar. percar. min. uſtar. & pulveriſatar. ʒß. Mag. corallor. ʒiß. perlar. ʒj. Succin. alb. ʒij. Ungul. alc. præp. ʒj. Pulv. priap. cervi, Caſtor. ana ℈iv. Cinnab. ſublimat. Vitriol. ♀ris ana ʒij. Sem. poëon. ʒj.

ʒj. ocym. ʒiß. rutæ ℈ij. Coriandr. præp. ʒiij. Fl. poëon. lil. convall. anth. lavend. Sumitat. majoran. ſchœnanth. ſtoechad. *Arabic.* ana p. j. Spec. diamoſch. dulc. ʒij. plerisarchont. ʒj. Miſc. fiat pulvis ſubtiliſſimus S. Pulvis Epilepticus Regis *Daniæ*.

℞. Cinnabar. nativ. ℥j. C. C. uſt. ʒij. crud. ʒj. Terr. ſigillat. ʒiij. Uunicorn. ver. ⊖ l. perlar. corallor. Corn. rhinoceroth. Viſc. quercin. ana ʒj. Cinamom. acut. Croci *Anglic.* ana ʒß. Sacch. albiſſ. pro lubitu. Miſc. fiat pulvis ſubtiſſimus. S. Pulvis Epilepticus Dn. *Heidleri*. Exhibeantur infanti grana iv. v. homini provectioris ætatis ad ſummum grana xij. in aq. fl. poëon.

℞. Cran. human. præp. ʒiß. Pulv. Marchion. Radic. poëon. ana ʒj. Cinnabar. ℈ij. Stercor. leon. ʒß. Ungul. alc. Spodii Unicorn. ver. ana ℈j. C. C. ſin. ign. præp. ℈ij. Fol. ☉ri Nō. iv. Miſc. fiat pulvis. S. Pulvis Epilepticus D. *Lujæ*.

℞. Aq. ceraſor. nigr. ℥iij. fl. til. antepileptic. *Lang.* ana ℥ij. Sir. fl. poëon. lunâ decreſcente collect. ℥iij. Mixtur. ſimpl. ʒj. Miſc. fiat Aqua. S. **Waſſer zum Pulver.** Pulverem Diaphoreticum Polychreſtum parat. Nobiliſſ. *Dan. Ludovici Pharmac. diſſertat.* 1. *pag.* 280. 281. & 282. ex C. C. Phil. præp. Terr. ſigill. ſelect. & Unicorn. foſſil. ana part. æqual. & ſingulorum partem unam inter ſe ſimpliciſſimè miſcet. Quem pulverem ſingulis doſibus neceſſitatis tempore ♃nialibus, ♃libus, ♀reis, Cinnabarinis, colubrinis, opiatis proportionaliter exaltandum cenſet. Sic mediocribus affectibus ad expulſiones, reſolutiones & inverſiones admodum ſufficiet; in intenſiori verò malignitate, volatilioribus vegetioribuſque præmiſſis, conſultius poſtmodum ſuccenturiabitur. Taliſmodi pulvis pulveres

omnes alexipharmacos, pestilētiales, pulverem Cæsareum rubrum ac griseum, species de hyacintho, liberantis, confectionis cordialis, contra pestem, pulverem pannonicum rubrum consimilesve camphoratos, inauratos, aliâve ratione pretiosiores, si non superat, tantum æquat. Et pulvis hic recens natis ad gr. j. vel ij. provectioribus autem, usque dum anniculi fiant, ad grana iij. vel iv. datus, sique opus, anodynorum vel Cinnabarinorum portiunculâ exaltatus, in caloribus vagis æque ac permanentibus, in exanthematibus, variolis morbillisque non adeò malignis, in convulsionibus, terroribus, torminibus, ac clamosis inquietudinibus reverâ se toto die sufficientem præstat.

Ob egregias suas virtutes Cinnabaris hæc nativa, uti jam dictum, præcipua basis est in Panacea *Anwaldina*, quam è Cinnabari nativa cum croco & conchis esse confectam scribit *Oswaldus Crollius in Basilic. Chymic*. Adjecit nimirum hic *Anwaldus* huic misto aliquid de Panacea quadam, quam ex *Italia* secum attulit, & multis eâ in gravissimis morbis consuluit. Habuit enim, ut *Ioh. Hartmannus in Notis ad Crollium pag.* 41. asserit, Panaceam veram, quam exhibuit, ab alio quidem confectam, & acceptam secum attulit ex *Italia*, & multis eâdem in gravissimis morbis consuluit. Postea, ne tandem omnem veram Panaceam perderet, composuit illud pharmacum, quod *Crollius* refert, eique veræ Panaceæ particulam adjecit, ut hac ratione dictum pharmacum de veræ panaceæ viribus participaret. Hinc Excell. *Wedelius Pharmac. lib. 2. sect. 5. cap. 3.* Cinnabarin nativam & ♁niatam Panaceam vocat. Et ideò quoq; Panacea *Anwaldina* quicquid præstitit, præstitit autem benè multa, ratione hujus

solius

solius & potissimum effecit. Multi cum *Libavio in Alchym*, opinantur Cinnabarin factitiam vulgarem fuisse ab *Anwaldo* usurpatam; quod autem adhuc ob certas rationes dubium est. Dosin pro uno floreno vendidit.

Speciosa illa Panacea, quæ etiam ☿rii fixati titulo in *Pharm. Medic. Chymic. Schroderi lib.3. cap.*15. reperitur, & ex ☿rio, ♀re & ✳ aliquoties sublimatis, &c. confit, Cinnabarinæ naturæ est, atque ideò effectus ejus in nervorum affectibus non contemnitur, & nativâ vel ♁niali Cinnabari facilè suppletur. Vid. *Pharmac. Dan. Ludovici dissertat.* 1. *pag.*117. Hic etiam *pag.*118. accepit haud ita pridem Panaceam ☉larem in pilulari forma, manifestè opiatam, & tantillo forsan Cinnabaris nativæ, vel ☿rii per se fixati ♁nialisve ♀ris, (quæ exigua planè quantitas discernere non permittebat,) sociatam; effectu cum Regiis *Pharmacopœiæ Regiæ* pilulis suo modo coincidentem. Multa alia possent adhuc adduci medicamenta, quorum basis Cinnabaris nativa est, vel quæ in alium finem hæc ingreditur, nisi temporis ratio ad alia progredi suaderet.

CAPUT XXX.

Usum Cinnabaris Nativæ correctæ singularem in doloribus mitigandis, contra vigilias, in sistendis fluxionibus, corde roborando, sudore movendo & humoribus expurgandis celebrat.

SUlphur temperatum, & ϴl ☿riale correctum possidet Cinnabaris hæc nativa, & ideò humorum, serosorum inprimis acrimoniam demulcet ac

mitigat, eosque sæpius expellit; humorum affluxum prohibet, sudores movet, doloribus quibuscunque subvenit, & sic quoque vigilias arcet, cor roborat. Imò infinitis ferè virtutibus prædita est, sæpeque contrarias etiam exercet operationes.

Sulphur habet hæc temperatum; hinc egregium anodynum est; sulphur namque temperatum demulcet, acrimoniam mitigat, acorem absorbet, dolores figit, capitis doloribus, nervorum irritationi, doloribus quibuscunque subvenit. Cum igitur 🜍re hoc temperato scateat Cinnabaris nativa, nullum certè medicamentum, quod ultra Cinnabarin & opium humorum acrimoniam mitiget, & dolores æque tollat, sub sole reperitur; humorum siquidem acrimoniam mitigat, & consequenter dolores aufert. Per accidens etiam hypnoticum est, & somnum inducit, quamvis eum intentione primariâ non efficiat. Dolores quoscunque figit. Conquiescunt indè dolores dentium, capitis, nervosarumq; partium aliarum; undè in omnibus doloribus gravioribus convenit Cinnabaris nativa, quæ tensionem & vellicationem membranosi generis tollit, acorem & acrimoniam, si qua adest, absorbet, & præcipitat, adeoque his ipsis est convenientissima, v. gr. arthritide, pleuritide, calculo, &c. In Cinnabari nativa latet 🜍ur anodynum eximium; undè de ea effectus innumeri videntur notabiles.

Ob 🜍ur hoc temperatum etiam Cinnabaris nativa, humorum inprimis serosorum acrimoniam corrigit, eorundem effervescentiam cöercet, affluxum remoratur, eccentricitatem & διάχυσιν disgregationem prohibet, impetum coercet, volatilitatem & citatum gradum figit, verbo, ad naturalem sta-

ſtatum quàm optimè perducit, & ad ſanguinis laudabilis productionem, & motu inprimis peccantis correctionem, legitimè uſurpata valet. In omnibus ſanè fluxionibus, tùm ſanguinis, in hæmorrhagiis, & ſeri, in defluxionibus catarrhalibus aliisque excretionibus, vel ſponte ſuâ, & à natura inſtitutis vel ab arte factis, uſus ejus celebris eſt.

Cor confortat Cinnabaris nativa, vinculum ſeri & ſanguinis firmando quaſi, concentrando leniter & colligendo. Compertum enim eſt experientiâ Practicorum, in ſpirituum vitalium & ſanguinis reſolutione convenientiſſimè dari Cinnabarin nativam, ſed non ſæpius, & parcâ refractâque doſi, ut hoc modo ulterior ſpirituum & ſanguinis diſſolutio impediatur.

Undè hoc in caſu laudatiſſimus eſt pulvis abſorbens dictus, ex ⊕-lo ♂tis cum ♁nio diaphoretico, vel in mulieribus ex bezoartico ♃li, conchis, corallis, oculis ♋, ebore præp. Cinnabari nativa & laudano opiato compoſitus, additâ guttulâ unâ vel alterâ olei caryophillorum. Effectus indè videntur admirandi in ſyncopticis, hyſtericis & aliis. Miſceri poteſt hæc Cinnabaris mineralis rectificata vel cum ſpirituoſis analepticis, ut confectione alkermes, ut & hâc ratione diſſolutio prohibeatur, & materia ſuppeditetur ſpiritib. vel cum terreis abſorbentibꝰ & reſolventibus, ut & hoc modo ſanguinis conſiſtentia reſpiciatur. Præterea, ſi calidum noſtrum innatum de 🜍re & ☿rio participat, & à Cinnabari nativa huic aliqua energia accedere poteſt, nobis ſtatuere licet, nullum dari calidum innatum, nullum humidum primigenium, quàm 🜍ur & ☿rium ſanguinis, quorum activitas calorem & vitam conſervat, diſſolutio frigus obitumque infert.

Sudorem movet Cinnabaris nativa. Non adeò verò diaphoretica eſt, niſi acceſſoriis aucta ſit, & ægri diſpoſitio conſentiat; facilius tamen ſudorem promovet Cinnabaris ♁niata. In nativa vis ſudorifera eſt exaltans ſaltem, vis item attemperans, aut præcipitans, aut abſorbens ſeri acrimoniam; hînc à colore noſtro non omninò reſolvitur, ſed eodem colore, eodem ſapore, & integrâ ſubſtantiâ excernitur. Abſorbet potiſſimum illa, & quod ſerum ligat, & fixius reddit, reſolvit; inſigniter enim humorum ſeroſorum fermentationem præcipitat, διαχώρησιν prohibet, & inſenſibilem transſpirationem liberam ſuique juris reddit. Deinde ⊖ l ejus ☿riale cum 🜍re intimè combinatum, quandoque purgat, quandoque ſudores efficit. Et tùm 🜍ur ejus reſolubile humores figit, quod tenuius ſupereſt, à ⊖ le ☿riali propulſum, per cutim exſpirat, ut etiam hâc ratione fixationem humorum meditetur Cinnabaris nativa. Addimus, quod natura hujusmodi Cinnabaris nativæ vi confortativâ refocillata, excretiones per ſudores moliatur, & quod ſomnus ipſe omnes fluxiones ſiſtat excepto ſudore. Neque tamen ſolus ſomnus ad ſudoris productionem ſufficit, cum & vigilantes ex opio ſudare queant, & in ſomno non ſemper fiat ſudor, niſi corporis repletione præſente, ut teſtatur *Hippocrates* ſect. 4, aph. 41. Cautè verò & parcè in ſudore proliciendo Cinnabaris nativa eſt exhibenda; ſi enim ſola, nec aliis mixta, ſæpè, ac in majori, quàm decet, doſi offeratur, maximè reſolvit ſanguinem, ſeu ſanguinis compagem, laxam nimis reddit, ut quaſi diſpereant, & diffluant ſpiritus; hînc etiam in omnibus morbis fluidis ſudoribusque quaſi colliquativis & ichoreſcente ſanguine ea cautè uſurpanda venit.

Sa-

Salivationem uti Cinnabaris hæc nativa excitat, ita & quandoque purgat. Et ideò commodè purgantibus pulveribus radicum gialappæ, mechoacannæ aliisve, imò etiam pilulis misceri potest debitâ proportione, ad grana nimirum iv. v. vj. pro una dosi, ut simul fluxiles reddat humores evacuandos, flatusque & tormina à pharmaco cathartico excitata paululum cohibeat. Undè in omnibus illis affectibus, in quibus usus ejus alias proficuus est, & purgativè nonnunquam requiritur, purgantibus misceri potest, v. gr. in arthritide vaga scorbutica, in colicis, epilepticis & hystericis affectibus, in scabie, &c. vel in forma pulveris, vel pilulari.

Dedit eandem aliquando Excell. *Georg. Wolffg. Wedelius de Medicam. facult. lib. 2. sect. 1. cap. 6.* anui ad ℈ß. pro dosi, quæ laboravit susurris aurium cum dolore capitis & vertigine, indè verò fortiter purgata retulit quasi de purgante assumpto, quàm benè id operatum fuerit, & morbum omnem sustulerit. Hanc purgandi vim fecit in ea ⊖ l ☿riale ♀reum, quod in illa latere conjicimus ex eo: si nempe Cinnabaris nativa pulverisata simplici aquâ eluitriatur, illa ipsa aqua, quamvis diutius super Cinnabarin stet, non facilè corrumpitur, quin per aliquot mensium spatium asservata videtur incorrupta. Sic & acidulæ artificiales, seu Clyssus ♁nii ♀ratus alvum ducit, & simul, ut & ipsæ acidulæ naturales, urinam pellit; hinc potui febricitantium inditus hic clyssus alvum apertam tenet, ut hoc modo & largior paulò assumptus iisdem non noceat: imò & per se datus alvum satisconspicuè purgat. Sic etiam ⊕tro ♁niato & Arcano duplicato *Mynsichti* ægri purgantur non aliter, acsi purgans assumpsissent, ob detersionem & stimulationem salinam.

Cum

Cùm verò Cinnabaris nativa ⊖ le ☿riali ♀reo redundet, hîncque vim habeat laxativam, in symptomaticis quibuscunque alvi fluoribus non semper prodest.

CAPUT XXXI.

Cinnabaris Mineralis præparatæ usum in adfectibus supremi ventris, capitis & cerebri scilicet, eruit.

CEphalicum maximè medicamentum audit Cinnabaris mineralis, omnibusque ferè capitis atque cerebri affectibus strenuè se opponit.

Membranas namque ac nervos respicit, eorumque irritationem, tensionem, quod de membranis potissimum valet) ac vellicationem tollit. Præstat autem hæc humores serosos & acres invertendo, demulcendo, eorumque acrimoniam absorbendo; & hînc in doloribus capitis, vertigine, pavoribus, epilepsia, apoplexia, paralysi caro, motibus convulsivis, &c. ubi peccat acidum, austerum, acerbum, ponticum prosunt aperientia & absorbentia cephalica, Cinnabrina inprimis quæ sanguinem reddunt fluxilem, & ob hanc ipsam vim latissimè patent, & in affectibus articulorum, doloribus quibusvis, calculi, articulorum, ischii, uteri, conveniunt. *Georg. Wolffg. Wedelius de Medicam. facult. lib.* 1. *sect.* 2. *cap.* 3. *& sect.* 3. *cap.* 1.

Pulverem hunc specificum adversus epilepsiam, vertiginem & apoplexiam describit *Joseph. Quercetanus tetr. graviss. capit. adfect. cap.* 33. ℞. Cinnabar. mineral. splendent. ℥ß. In alcool teratur super

per

per marmore, adde Mag. perlar. corallor. ana ℈ij. Croci ℈j. Fol. auri, aut potius Ceraunochryſi gr. X. Miſc. fiat pulvis. Doſis ejus eſt à ℈ß. ad ℈j. ad ſummum in aqua lil. convall. Magnos & copioſos ciet ſudores hoc medicamentum.

Cinnabaris nativæ aliquid cum partibus æqualibus Mag. perlar. corallor. & cranii humani miſcet, & à granis viij. diaphoretici loco in convenienti liquore in epilepſia exhibet. *Dan. Sennertus Inſtitut. Medic. lib. 5. part. 3. ſect. 3. cap.* 17. Item Cinnabarin nativam à *Cratone* commendatam, ac magnetem epilepſiæ appellatam fuiſſe ſcribit *Idem Med. practic. lib. 1. part. 2. cap.* 31. ℞. Cinnab. nativ. ʒß. Corall. rubr. præp. Margarit. præp. ana ℈ij Croci ℈j. Fol. ☉ri gr. xij. Miſc. fiat pulvis; cujus doſis eſt ad grana xij. vel xvj. Detur cum aqua conveniente. Deindè *Sennertus* ipſe hunc præſcribit Pulverem Epilepticum. ℞. Cinnabar. nativ. & mineral. Margarit. præp. Corall. rubr. præp. ana ʒiß. Cran. human. præp. C.C. uſt. & præp. ana ʒj. Croci orient. ℈ij. Fol. ☉ri Nō. xv. Miſc. fiat pulvis ſubtiliſſimus.

Univerſalibus præmiſſis, vomitivis & catharticis, inprimis *Paracelſi* purgante ſpecifico, in epilepſia exhibet *Joh. Hartmannus Prax. Chymiatric. part.* 2. *cap.* 10. pulverem ſequentem ſpecificum. ℞. Cinnabar. nativ. pellucid. & ſplendent, ʒß. Mag. corallor. perlar. ana ℈ij. Croci ℈j. Fol. ☉ri gr. x. Quæ terendo ſuper lapidem, diligenter redige in pulverem, cujus grana vj. ad xviij in aqua ſalviæ propina in ipſa acceſſione, ac repete ſæpius. Alium etiam pulverem antepilepticum magnarum virium hoc modo parat. ℞. Cinnabar. *Ungaric.* probè lot. & depurat. ℔ß. Imbibe cum ſpir. ⊖-li ʒiv. Adde Scobis cran. human. nunquam ſepult. & ſpiritu vi-

ni

ni imbut. ℥ß. Relinque in loco calido per quindecim dies; & per retortam diſtilla liquorem, atque illud quod reſtat; ſeorſum ſerva. Hinc ℞. Scob. Ungul. alc. ℥iß. Myrrh. rubr. ℥ß. Solve in ſpiritu ⊖ lis.

Solutum à fœcibus ſepara & ſerva. Poſtea ℞. Croci ℥ß. Extrahe tincturam ex eo cum ſpiritu vini. Liquores omnes ſimul miſce, & iſtis Cinnabarin, lotione ac pulveratione præparatam imbue; iterumque leni calore exſicca; donec omnem liquorem imbiberit; & in pulverem ſiccum abierit. Doſis ejus eſt à gr. ij. ad iv. cum vino generoſo, aut ſpiritu vini, vel aqua antepileptica; in, ante, & poſt paroxiſmum.

Cinnabrium nativum, ☿rii radicem ac mineram, tantarum eſſe virium tradit *Henr. Petræus lib.* 1. *diſſertat. harmonic.* 6. ut celeberrimus *Crato* magnetem epilepſiæ vocare non ſit veritus. Cui etiam ſimile judicat Cinnabrium ♁nii, ſi Mag. corallorum, perlarum & ⊖ l cranii humani ipſi admiſceantur; & omnia in unum redigantur pulverem inſignem diaphoreticum; cujus doſis ſit à gr. X. ad xvj.

Cum *Crato* Cinnabarin nativam epilepſiæ magnetem vocaverit, *Laz. Riverius Prax Medic. lib.* 1. *cap.* 8. in epilepſia hunc adhibet pulverem: ℞. Cinnabr. nativ. pellucid. limat. & in tenuiſſ. pulver. trit. ℥ß. Corall. rubr. præp. Margarit. præp. ana ℈ij. Croci orient. ℈j. Fol. ☉ri Nō. xv. Terantur omnia ſubtiliſſimè ſuper lapidem. Doſis in ipſa acceſſione eſt à gr. vj. ad ℈j. in aquis appropriatis. Non minoris virtutis cenſet cum Chymiatris Cinnabarin ♁nii, quæ poſt ☿rii vitæ extractionem elicitur. Si enim æquali pondere jungatur cum Magiſte-

gisteriis perlarum, corallorum & cranii humani specificum esse ait in epilepsia, etiam inveterata, cujus dosin facit à granis X. ad xv. in liquore idoneo.

Pulverem talem in vertigine & epilepsia commendat *Phil. Grülingius Florileg. Chymic. part.* 13. *cap.* 1. ℞. Cinnab. nativ. ʒß. Mag. corallor. perlar. ana ℈ij. Sterc. pavon. præp. ʒj. Croci orient. ℈j. Fol. ☉ri Nō. vj. Reduc ad alcool super marmore. Dosis gr. X.

In vertigine pariter ejusmodi Electuarium laudat *Guernerus Rolfincius lib.* 7. *sect.* 1. *cap.* 10. *ord. & meth. med. special.* ℞. Conserv. fl. betonic. ℥j. Cinnabar. nativ. mineral. ʒß. Elæosacch. succin. cinamom. ana ʒij. Dosis ejus est singulis horis matutinis, & stomacho jejuno, ʒj.

Postquam *Crato* Cinnabarin nativam epilepsiæ magnetem appellavit, illa fuit basis Panaceæ *Anwaldinæ*, imò etiam nunc ob atomos solares à multis magni æstimatur, *Idem lib.* 2. *consultat. Medic.* 12. in epilepsia hunc præscribit pulverem: ℞. Cinnabar. nativ. *Ungaric.* eleganter splendent. in pulverem tenuissimum trit. ʒß Mag. perlar. corallor. ana ʒß. Fol. ☉ri Nō. xv. Sacch. refinat. q. s. ad saporis gratiam. Misc. fiat pulvis, cujus dosis est à gr. vj. ad ℈j in aquis appropriatis. Et *consultat. Medic.* 21. Cinnabarin nativam *Ungaricam* matricem ☉larem in sinu suo fovere admirandaque promittere auxilia in caro scribit. Et ideò tale quoque Electuarium, cujus compositionem illa ingreditur, porrigit. ℞. Conserv. fl. pœon. lavend. rosar. ana ℥ß. Confect. alcherm. ʒij. Smaragd. præp. Essent castor. Cinnabar. *Ungaric.* nativ. ℈ß. Ol. still. cinamom. anthos, rutæ ana gt. iij lil. convall. aq. apople-

plectic. ana gr. ij. Sir. de betonic. q. s. Misc. fiat Electuarium. Detur in fictili. S. Stärckender Haupt-Zucker. De hoc manè sumatur ad magnitudinem nucis avellanæ, & assumantur de brodio carnis cochl. ij. iij.

Specificè in epilepsia prodesse Cinnabarin nativam & ♁nii asserit *Frid. Deckerus in Notis & Observ. ad praxin Barbettianam lib. 1. cap. 1.* & cum prior à *Cratone* vocetur magnes epilepsiæ, ex ea talem paratum pulverem: ℞. Cinnabar. pellucid. limat. in tenuiss. pulver. trit. ℥ß. Corall. rubr. Margarit. ana præp. ℈ij. Croci orient. ℈j. Fol. auri Nō. xv. Terantur omnia subtilissimè super lapidem, ut fiat pulvis; cujus dosis est à gr. vj. ad ℈j. in vehiculo convenienti. Præstare tamen ♁nii Cinnabarin censet.

Pulverem antepilepticum anodynum talem nobis commendat Excell. *Dan. Ludovici Pharm. dissertat. 1. pag. 642 & 643.* ℞. Pulv. Bezoardic. alb. (è c. c. phil. præp. Terr. sigillat. & Unicorn. fossil.) ʒvj. Succin. alb. præp. ʒiij. Cinnabar. nativ. ℈iv. Laudan. opiat. ℈j. Exactè miscendo fiat pulvis. Trimestri ad granum j. exhibitus, vel aliis alterantibus, præcipitantibusque associatus, multùm prodest: sicuti quoque lactentibus in variis inquietudinibus, torminibus, vomitibus, diarrhœis admodum confert.

In epilepsia Medicorum aliorum celeberrimorum pulveres ant-epilepticos sequentes adducit *Frid. Hoffmannus Thesaur. Pharmaceutic. sect. 23.* ℞ Cinnab. ♁nii optimè rectificat. nativ. *Ungaric.* vel *Armen.* ana ʒß. Smaragd. orient. præp. c. c. sin. ign. corn. alc. sin. ign. Visc. corylin. ana ℥j. Misc. fiat pulvis, cujus dosis est à ℈j. ad ʒj.

℞. Pulv.

℞. Pulv. Marchion. ʒij. Off. de corde cervi ʒiß. Unicorn. ver. Cinnab. ♁nii rectificat. nativ. ana ʒj. Misc. fiat Pulvis. Dosis illius est à ℈j ad ʒj.

℞. Cinnab. nativ. ʒj. Unicorn. ver. ʒj. C. C. ust. & præp. ʒij. Visc. quercin. in ♌ decerpt. ʒij. Terr. sigillat. ver. ʒiij. Mag. perlar. corallor. ana ʒß. Cinamom. elect. ℈j. Misc. fiat pulvis, cujus dosis est à ℈ß. ad ʒß.

In epilepsia, apoplexia, vertigine aliisque morbis capitis Magisterium hoc Cinnabaris nativæ vires habere nobiles dicitur, si à gr. v. ad vij. & ℈ß. in aqua appropriata exhibeatur. Componitur a. ita: ℞. Cinnabar. *Ungaric.* optimè rectificat. & pulverisat. ℥iv. Spir. ⊖-li opt. & dephlegmat. ℥vj. Mixta immittantur retortæ vitreæ, &, post peractam digestionem unius mensis in lenissimo calore, affusus spiritus denuò abstrahatur. Tandem Cinnabrium in fundo vitri relictum, aquâ flor. tiliæ sæpius lotum, & benè exsiccatum, ad usum servetur. Hoc negotium, circa abstractionem spir. ⊖-li, si solâ evaporatione instituatur, & Cinnabaris interea spatulâ ligneâ continuò agitetur, magisterium evadet longè rubicundioris & pulchrioris coloris, ex quo etiam cum menstruo quodam specifico extrahi potest tinctura pulcherrima. Egregiæ sanè vires sunt, quæ huic adscribuntur Magisterio: color ejus est quoque pulcherrimus; hoc unicum autem in eo desideramus, quod acidi spiritus abstractione non parum alteretur & invertatur ejus virtus. Nam, ut fideliter monet Cl. *Dan. Ludovici*, Chymicus excellentissimus, *Pharmac. dissertat.* I. *pag.* 352. Cinnabaris per nimiam curiositatem non est divellenda, quod fit, quando pars ♀rea è selectiori quoque minera (è viliori siquidem saxea substantia potius

O solvi

ſolvi videtur,) per alcalia fundendo, vel digerendo, difficulter licet & exiguâ planè quantitate extrahitur: nec non Cinnabari injuria fit, cum abſtractione acidorum non tàm alteratur, quàm pervertitur ejus virtus, æque ac materia, quæ poſt conſuetam ☿rii ſeparationem ibi reſtat, meritoque proindè, quæ natura hîc conjunxit, homo non ſeparat, etiam curioſioribus ex alcalibus volatiliſatis, aut conſimilibus menſtruis.

Pulverem Apoplecticum Regium, aliàs Cephalicum Dn. D. *Podchocinski* deſcribit Nobiliſſ. *Martin. Bernhard. de Bernitz in Faſcicul. alter. Medicam. Singular. tit.* 7. *cap.* 1. in quo etiam Cinnabaris nativa reperitur. ℞. Magiſter. ant-epileptic. M. *Prævotii*, Radic. poëon. pulver. Corall. rubr. præp. ana ℥ij. Mag. ſuccin. Bezoard. lunar. Cinnabr. nativ. ana ℈ij. Ol. in deſtillat. aq. apoplectic. collect. gt. vj. Sacch. ad p. o. Miſc. in mortario vitreo, adde pro concilianda gratia Fol. auri, argenti ana N̄o. iv. Pulvis commixtus reſervetur uſui. S. ut ſupra. Vires attribuuntur huic cephalicæ & analepticæ inſignes; indè & in omnibus morbis capitis doſis ejus eſt à ℈j. ad ℈ij. in aq. cephalica, apoplectica, ſeu fl. lavendul.

Epilepſiæ, apoplexiæ, vertigini, doloribus capitis, dentium, & ſuſurris aurium optimè ſubvenire Cinnabrium minerale ſcribit Excell. W*edelius de Medicam. facult. lib.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 1. *lib.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 6. *& ſect.* 2. *cap.* 10.

Verùm, quænam eſt ratio, quòd Chymicorum & Medicorum multi in his adfectibus Cinnabarin ♁nii nativæ præferant, eaſdem forſan vires cum priori non habebit, nec omnes epilepſias inprimis extirpabit? Utraque ſuam meretur laudem; undè à quibuſdam Practicis ſolum uſurpatur Cinnabrium

♁nii,

♁nii, ſicuti ex gr. apud *Martin. Bernhard. de Bernitz in Faſcicul. alter. Medicam. Singular. tit.7.c.3.* pulverem ant-epilepticum, Mag. Cinnabaris ♁nii, ſpiritum ⊖-li compoſitum ant-epilepticum, &c. legimus, quorum baſis Cinnabaris ♁nii eſt, & ubi nullius Cinnabaris nativæ fit mentio.

Quibuſdam eſt etiam ſola Cinnabaris mineralis in uſu magniq́ue æſtimatur. Sic *Sennerto, Riverio, Petræo, Rolfincio* & aliis epilepſiæ magnes dicitur. In epilepſia virium eſſe magnarum Cinnabrium nativum, ut ☿rii radicem ac mineram, ſcripſit *Frid. Hoffmannus meth. med. lib.*1.*cap.*19. Diacinnabaris ſpecies *Mynſichti* maximi facit Dn. D. *Angelus in Catal. Medicam. Spagyric. pag.*101. Aſt, quamvis Cinnabrium ♁nii in capitis aliarumque partium morbis graviſſimis ac deſperatiſſimis à multis, potiſſimum verò à *Joh. Hartmanno in Notis ad Croll. pag.* 72. *&* 230. *Ioh. Quercetano Tetr. graviſſ. capit. adfect. cap.*33. *Hadr. Mynſichto Armam. Medico-Chymic. ſect.*5. *Guer. Rolfincio Chym. in art. form. redact. lib.*5. *ſect.*5. *cap.*6. & *Diſſertat. Chymic.*5. *de* ♁*nio cap.*17. *Ioh. Zwelfero Mantiſſ. Spagyric. part.*2. *cap.* 8. *Petro Ioh. Fabro Curat.* 10. *Dan. Ludovic. Pharmac. diſſert.*1. *Frid. Hoffmanno lib.*1. *cap.*11.19. *meth. med. & in Clav. Schroderian. Pharmaceutic. lib.*3. *cap.*17. *Andr. Val. Mollenbroccio tr. de arthritid. vag. ſcorbutic. cap.*11. *Georg. Wolffg. Wedelio Pharm. lib.*2. *ſect.*3. *cap.*4. *& Ephemerid. Curioſ. Germanic. Ann.*3. *obſ.*105. maximè laudetur, melior tamen hâc Cinnabaris nativa ob ♀ur ſuum ♁nii ⊙lare eſt. Et ideò *Sennertus Inſtitut. Medic. lib.*5. *part.*3. *ſect.*3. *cap.* 17. rectè dixit: *præſtat Cinnabarin nativam uſurpare præ Cinnabari* ♁*nii.* Et hæc nativa etiam Cl. *Danieli Ludovici Pharm. diſſert.* 1. *pag.*345. potior ple-

rumque viſa eſt præ Cinnabari ♁nii. Item Excell. *Wedelius Pharmac.lib.*2. *ſect.*3. *cap.*4. nativam *Ungaricam*, inprimis ☉larem, tùm ſibi relictam, tùm ſublimatione depuratam factitiæ ♁niali præferre fas judicat.

Videtur quidem inter utramque ſimilitudo quædam, cum nativa & mineralis æque ſplendeat ac factitia ♁nialis. Verùm, ſi rem ipſam exactius rimemur, differre cauſa efficiente, materiâ, formâ & fine videntur. Cauſæ efficientis intuitu, Cinnabarin nativam natura efficit, miſcetque partes 🜍reas & ☿riales eâ menſurâ & proportione, quæ ipſi conveniens eſt. Cinnabarin autem ♁nii Ars Chymica producit, quando ☿rius ♎tus ☿rium vivum & currentem, ♁nium verò 🜍ur ſuum, quo ☿rius ligatur, præbet, ut unum fiat miſtum. Materiæ ratione differunt. Principia utriuſque conſtituentia ſunt 🜍ur & ☿rius. In Cinnabari minerali ſelectiſſima 🜍ur ♁nii ☉lare admodum rutilans, vegetum & copioſum eſt, & hînc quoque ejus vires perfectiores & vegetiores ſunt. Contra verò factitia ♁nialis minus rutilat, minus vegetum & copioſum 🜍ur obtinet, & efficaciâ quoque tali deſtituitur. Deindè ☿rius, qui ex Cinnabari nativa artis beneficio prolicitur efficacior nobiliorque eſt quovis vulgari, ex quo factitia ♁nialis paratur; ex illo enim potentiſſima, ſelectiſſima ac præſtantiſſima efformantur medicamenta ſpagyrica. Formæ internæ & externæ reſpectu apparet etiam differentia. Interna dat operari. Iſta autem operatio efficacior eſt in nativa, ob pleniorem exactioremque 🜍ris ♁nii ☉laris menſuram & proportionem, quam natura feciti. Externam formam in utraque color exprimit, qui intenſior ſplendidiorq; eſt in nativa, quàm

in

in ♁niali factitia, vel ſæpius etiam rectificata. Finem tandem differunt; cùm enim in Cinnabari nativa partes componentes magis naturales, pleniores ac perfectiores ſint, ac in ſpecie 🜍ur ☉larem naturam ſapiat, atque indè efficacius exiſtat, ac inſuper ☿rii & 🜍ris miſtio magis proportionata deprehendatur, vires majores nobilioresque nobis ea non in capitis ſolùm, ſed aliarum etiam partium adfectibus graviſſimis, ſubminiſtrat, quàm factitia ♁nialis.

Deindè, non omnes epilepſias ſtatim extirpat Cinnabaris nativa; hæreditariæ, idiopathicæ, confirmatæ, & à partibus remotioribus ortæ ſæpius illi reſiſtunt fortiter. Paroxyſmum tamen frequentius tollere & protelare poteſt. Sympathicæ autem, à materia mucilaginoſa craſſa & viſcida, in ventriculo ſtabulante, vel etiam à lacte materno coagulato in infantibus ac pueris provenientes, facilè generoſo hoc remedio expelluntur.

Salivationem etiam per aliquot dies continuos excitare valet Cinnabaris nativa. Sic ſcorbutici, hypochondriaci, &c. Cinnabaris nativæ ſaturatiſſimæ ac optimæ beneficio ad ptyaliſmum facilè deducuntur.

Si ad aures *κριτικῶς* quaſi protruſi fuerint humores, ibidemque reſtagnent, & auditum lædant, quod tùm aliàs, tùm in declinatione febrium malignarum frequenter accidere ſolet, & optimum ſemper præbet ſignum, tunc præcipitantia proſunt, inprimis Cinnabarina, quibus ſolis ejuſmodi *δυσηκοΐας* feliciſſimè abigere Medicus poteſt, licèt utplurimum perſe quoque tandem deſinant.

Si catarrhus depluat à capite in ſubjectas partes ex veterum ſententia, ſeu ſolutum quaſi in cloacam

ſanguinis excrementum, negotium faceſſat, & tenuitate ſuâ acredineque moleſtet, Cinnabaris nativa opem fert egregiam, cum cauſæ radicalis reſpectu, tum producti poſterioris intuitu. Si enim ad grana decem cum pulveribus & ſpeciebus aliis cephalicis detur, caput, cerebrum, totumque nervoſum genus roborat admiraculum uſque, catarrhos prohibet, eoſque ita ad πεπασμὸν deducit, ut ſine noxa & periculo excerni facilè queant.

CAPUT XXXII.

Cinnabaris Mineralis correctæ uſum in adfectibus medii ventris, pectoris ſcilicet reſpicit.

SOlatii multum in adfectibus his adfert Cinnabaris mineralis ob ♀ur ſuum ſuave, temperatum atque anodynum. Lipothymiæ, ſyncopes & palpitationis cordis cauſa eſt ſanguinis grumeſcentia; huic debetur Cinnabaris nativa; illa ſiquidem ſanguinis partes craſſiores reſolvit, tenuiores alterat & diſſipat, acriores verò temperat ac corrigit. Hînc in taliſmodi adfectibus & ſymptomatibus, hypochondriacis familiaribus, lipothymia ſcilicet, ſyncope & cordis palpitatione, ceſſantibus etiam in prioribus omnibus operationibus animalibus & vitalibus ad ſenſum, nil præſentius invenitur & conſultius, quàm Cinnabaris nativa, ut ſimul reſolvens & præcipitans, ſi cum aliis reſolventibus & præcipitantibus in pulverem hoc modo redigatur. ℞. Cinnabr. nativ. ♃nii diaphor. Corall. rubr. præp. Conch. præp. Ocul. ♋. præp. ana ℈ß. Vitriol. ♂tis gr. vj. Laudan. opiat. gr. j. Miſc. fiat pulvis, dividendus

dus in 6. partes æquales. Dari poteſt pro circumſtantiarum urgentia ſingulis horis cum aquis meliſſ. cinamom. aliiſque ſpirituoſis, vel tantum cum vehiculis domeſticis, cereviſia vel vino. Addi etiam nonnunquam poſſunt pro ditioribus, ſi cui id libeat, perlæ præparatæ, lapis bezoar, unicornu verum, oleum ſtill. cinamomi, caryophyllorum, &c. Effectus hujus pulveris certè ſunt inſignes; conquieſcunt indè citò omnia ſymptomata; ſanguis feliciter tono ſuo reſtituitur; & ſymptomata hyſterica etiam huic ipſi morem gerunt, ſubſequuto ſæpius vomitu, vel alvi fluxu cum maximo juvamine, cum ejuſmodi reſolventia facilè alvum & vomitum cieant. Præferendus igitur eo nomine multis aliis medicamentis cordialibus videtur.

In febribus ſcorbuticis, & aliis, ſeroſorum humorum colluvie ortis, univerſalibus præmiſſis materiâ ſatis præparatâ & depletâ, ad modum eminet Cinnabaris nativa; hæc enim non tantùm ipſam febrium cauſam reſpicit, humores peccantes corrigendo ſudoremque movendo, ſed reliquias etiam earundem, ejuſmodi rebelles & ſæviores inſultus efficientes, fortiter cohibet feliciterque tandem expellit. Atque hoc magis fit, ſi ſerum nimis abundet, & cum nimia ſanguinis ebullitione, maximè verò cum virium reſolutione, dolore & vomitu conjungatur febris, tunc ſæpè nullo alio proficiente, Cinnabaris hæc nativa hoſtem ſuperat indomitum. Pulverem ergò hunc antifebrilem ante paroxyſmum juſto tempore adhibemus. ℞. Cinnabr. mineral. ſplendent. gr. viij. Nitri ⊕-lati, ♁nii diaphor. Ocul. ♋. præp. Corall. rubr. præp. ⊖ l. centaur. min. card. bened. ana gr. vj. Miſc. fiat pulvis, exhibendus cum Aq. card. bened. vel centaur. min. ℥ij.

 In-

In tertianis plerumque post catharticum, præsertim emeticum, simplicissimum concharum pulverem solitarium, aut cum nativa Cinnabari, vel pulvere anodyno mistum satisfacere asserit Dn. D. *Dan. Ludovici Pharmac. dissert.* I. *pag.* 286. Exemplum ejusmodi medicationis habet Vir hic celeberrimus in *Anno* 3. *Ephemerid. Curios. Germanic. obs.* 254. Cinnabari nativâ tertianas in plurimis persanavit *Christoph. Heupergerus*, Medicus *Augustanus* apud *Georg. Hier. Velschium in Mictomimem. pag.* 10. Quibus subjicit *Velschius*: Id non tam propter diaphoresin eligebatur, quàm illam ob causam, quam ediximus in *Notis ad obs.* 118. *H. Reusneri*; quam tamen ibi non legimus. Eam autem satis expresserunt *Thom. Willis Lib. de febrib. cap.* 6. & *Martinus Kergerus Lib. Physico-Medic. de Fermentat. sect.* 3. *cap.* 3.

Videtur etiam ⊖l rubrum antifebrile, quod maximè laudat *Frid. Hoffmannus in præfat. meth. med.* recipere Cinnabarin nativam. Hoc ⊖l antifebrile album & rubrum, ut ipse fatetur, nulli cedit in paroxysmo febrili abigendo, dum fermentum febrile in primo quasi flore extinguit, figendo ac præcipitando, & postmodum per sudorem ac urinam everrendo, horâ unâ vel circiter ante paroxysmum exhibitum, pro ratione ætatis & subjecti à gr. iv. ad ℈ß. vel ℈j. in liquore convenienti. Raro bis vel ter sumitur. In febribus siquidem, qualescunque fuerint, rectè ab initio ⊖lia antifebrilia, bezoardicum ♃le, ☉lare, aut ♂tiale, item tinctura bezoardica exhiberi possunt, & pro confortatione offerri magisterium perlarum, eboris, liquor perlarum, corallorum.

Salia hæc antifebrilia nihil aliud esse credimus quàm

quàm ⊕trum ⊖-latum *Mynsichti*, vel etiam ⊕trum ♁niatum cum ⊖-lo ♂tis eliquatum, filtratum & ad ⊖lis consistentiam benè evaporatum, postea Cinnabari nativâ sufficienter tinctum. Hoc ⊕trum ♁niatum potest etiam cum ⊖-lo ♂tis sine deliquio misceri, & deindè Cinnabari nativâ tingi.

In febribus continuis, inprimis malignis, admodum etiam valet hæc Cinnabaris nativa, præsertim, si vigiliæ, delirium convulsionesque jam immineant. Hæc enim sudorem movet, humorum acrimoniam, ebullitionem & fermentationem p. n. demulcet atque temperat, cor & spiritus contra malignitatis atomos & ἀποῤῥοὰς munit, somnum promovet, delirium arcet, convulsionesque abigit. Vires autem suas magis exserit, si cum Diascordio *Fracastorii*, & pulveribus bezoarticis misceatur & exhibeatur, ut hoc modo sudor, crebrâ corporis jectigatione prohibitus, commodè excitetur, naturaque vigiliis debilitata & morbo, robur acquirat valentius, atque ita simul delirium præcaveatur.

Alexipharmaca quoque Cinnabaris mineralis est, convenitque ob ♀ur suum temperatum & ⊖l ☿riale tum venenis in genere ab extra propinatis, vel per errorem haustis & communicatis, cor muniendo, & sanguinis ac seri tonum illibatum conservando, tùm in peste, febribus malignis & pestilentialibus, *Hungaricis*, petechialibus, febribus puerperarũ, variolis & morbillis, ac similibus contagiosis & mali moris adfectibus, quatenus etiam vel serum ejusque motum promovere, & coagulationem impedire, vel illud fluxile reddere valet. Undè regulæ instar notamus: In febribus malignis, ubicunque serum quasi coagulatum est, & sudor

 hinc

hinc nullus obtineri poteſt: ſed omnia quaſi uruntur Cinnabrina, (ut Cinnabarin nativam & factitiam ♁nialem,) aliis prudenter maritata bezoardicis, ejus fluxilitatem maximè promovere. Verùm ſi ad reſolutionem & ichoreſcentiam planè ſanguis inclinet, omninò devitanda eſſe, neque in ipſis tunc ſubſequentibus motibus convulſivis omninò tuta eſſe vel fida. Ex quo ipſo etiam eximia horum agendi virtutis emergit differentia.

In his etiam adfectibus, ſi delirii, convulſionum advertantur indicia: ſi vigiliæ vel dolores adſint, optimo conſilio pulverem bezoarticum *Sennerti*, vel etiam cordialem *Dorncreilii* cum Cinnabari minerali ſelectiſſima ſaturatiſſimaque, vel ♁nii cum paucis granis Mag. anodyni *Rolfincii* miſcemus, ægrisq; cum aqua quadam appropriata præbemus. Sic ſerùm malignum redditur multùm ad expellendum aptius, variaque ſymptomata pernicioſa præcaventur.

Non in epilepſia ſolùm, doloribus capitis, articulorum ſeu pleuriticis etiam, adeoque omnibus totius corporis convenit Cinnabaris nativa, quatenus humores ſeroſos ac acres invertit, & eorum acrimoniā quâ nervi & membranæ irritantur, tenduntur & vellicantur abſorbet; undè Cinnabaris non cephalicum tantùm eſt, & capitis membranas ac nervos reſpicit, ſed reliquarum etiam partium corporis.

In doloribus ergò pleuriticis admodum convenire Cinnabarin nativam, cum excell. W*edelio lib.* I. *ſect.* 3. *cap.* I. & lib. 2. *ſect.* 2. *cap.* 10. *de medicam. facult.* experti ſumus. Præmiſſis enim venæ ſectione atque bezoardicis volatilibus, multos nuper in pleuritide epidemia ex ſero ſcorbutico doloribus acutiſſimis hoc

hoc pulvere tandem liberavimus : ℞. Pulv. antipleuritic. *Aug.* gr. X. Rafur. dent. apri, Mandib. luc. pifc. c. c. fpagyric. præp. ♁nii diaphor. Cinnabar. nativ. ana gr.. v. Mifc. fiat pulvis, exhibendus cum aq. papav. rh. card. bened. mar. & Sir. papav. rh. ana ℥ß.

Quàm promptè hoc pulvere morbus aufcultet Medico, dici non poteft. Expectoratio hînc melior fuccedit, vires confortantur, ac ipfe morbus longè feliciùs ad finem decurrit; atque hoc pacto, fæpiffimè, abfque venæ fectione quoque pleuriticos reftituimus. Et hic pulvis admirandos effectus præftat non modò in vera pleuritide, fed etiam in aliis pectoris apoftematibus, adeò ut aliquoties præfentaneo cum levamine per alvum materiam purulentam evacuet.

In adfectibus pectoris ♀ra balfamica, balfamum ♀ris, ♀ur ♁nii fixum, balfamum ♁nii, Cinnabaris nativa, &c. eximiè profunt.

In tuffi ab acredine humorum falforum & feroforum orta, ut illa corrigatur, illorumque ἐπίῤῥυσις in pulmones cohibeatur, Cinnabaris nativa benè cum aliis pectoralibus lenientibus atque incraffantibus permifcetur.

In afthmate pariter præcordiali, & in omni afthmate à fluxili materia ferofa, quæ apta nata eft, pulmonum bronchia obftruere, convenit etiam Cinnabaris nativa fpermati ceti, lacti ♀ris pulveri radic. aronis & ireos *Florentin.* ♁nio diaphoretico, oculis ♋ & aliis refolventibus ac præcipitantibus mixta.

C A-

CAPUT XXXIII.

Cinnabaris Mineralis præparatæ usum in adfectibus infimi ventris adducit.

IN cholera humida, cardialgia, ſingultu, vomitu, & appetitu nimio, præmiſſis præmittendis, maximum ſolatium adfert Cinnabaris nativa, ſi cum pulvere bezoardico, oculis ♋. coralliis rubris, matre perlarum præp. oleo caryophyllorum & uno atque altero grano laudani opiati permiſceatur, & ita pulvis præcipitans paretur.

In adfectu hypochondriaco & ſcorbutico à ſero ſalſo & acri, Cinnabaris nativa, ob ☿ur ſuum blandum, ſuave, mite ac anodynum, virtutemque humores demulcendi eorumque acrimoniam mitigandi, ſanguinemque ipſum depurandi, multis aliis remediis palmam præripit.

In adfectibus hepatis Cinnabaris nativa deprehenditur proficua; & dolor hypochondriorum contumax cum lichenibus toto corpore ſe exſerentibus, hâc potiſſimum ſolâ feliciter curatur.

In inteſtinorum etiam adfectibus, ut colica, ileo, diarrhœis & dyſenteriis, ut & in hæmorrhoidibus, valdè dolentibus vel aliter affectis non minorem uſum Cinnabaris nativa habet, cum ☿ur ſuave atque temperatum obtineat, partibus membranoſis ſit admodum amica, tenſionem ac vellicationem omnem membranoſi generis tollat, humorum acorem & acrimoniam abſorbeat & præcipitet, ſi potiſſimum etiam cum aliis medicamentis carminativis & anodynis, bezoarticis antidyſentericis, &c. exhibeatur.

Sic

Sic obſervavimus etiam ſæpius, pulveres præcipitantes, v. gr. vel ex ſolis conchis, coralliis rubris, oculis ♋. præparatis cum Cinnabari nativa, item pulverem abſorbentem, jam dictum excitaſſe appetitum inſigni & notabili cum juvamine.

Præcipitantia enim talia per accidens reſtringendo quaſi & in ordinem redigendo præcipuè acidum excedentem in ventriculo humorem, quandoque poſſunt appetitum ciere & reducere; neque enim fermentum ventriculi legitimè habet, ſi exceſſivè ſit acidum.

Vermes necat Cinnabaris nativa, licèt non expellat ſemper; undè, licèt minus concinnè, quidam eò progrediuntur, ut Cinnabarin ♁nii, ſi qua virtus epileptica in ea ſit, nonniſi in ſympathica epilepſia, à vermibus oriunda, prodeſſe aſſerant.

Cinnabaris nativa, quatenus eſt optimum nervinum, in calculo prodeſt. Optimum nervinum eſt, cum naturam & nervos roboret. Hînc Excell. *Wedelius de medicam. facult. lib.* 1. *ſect.* 3. *cap.* 9. *& lib.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 10. in nephritide & calculo renum eam convenire dicit. Si enim dolor admodum urgeat, vigiliæque hînc & deniq; forſan lipothymiæ oriantur, temperatiora lithontriptica, nec non nervina, demulcentia & anodyna ſunt adhibenda, ut dolore ſedato, natura longè magis roborata eò valentius inſurgere poſſit. Sic pulvis ex oculis ♋. Cinnabari minerali & laudano opiato conſtans ab Excell. Dan. *Ludovici Pharmac. diſſert.* 1. *pag.* 449. commendatus, crebriori Medicorum experientiâ longè optimus eſt; cui reſolventia alia ex ſpermate ceti, ⊖ le volatili ſuccini aliiſque interdum utiliter miſcentur.

Uterina, ſive hyſterica inter alia reſpiciunt etiam ner-

nervoſum genus & ipſam uteri ſubſtantiam membranoſam & nervis maximè irrigatam, quæ inſignem conſenſum cum capite habet: talia ſunt nervina omnia & cephalica dicta, ♀re balſamico volatili pollentia, ſpirituoſa, ſuavia, ut meliſſa, ſalvia, rosmarinus, lavendula, &c. caſtoreum, ſuccinum, utraque ⊖le volatili oleoſo fœta, &c. ac præ omnibus aliis Cinnabarina. Sic experientiâ practicâ conſtat, Cinnabarin nativam *Ungaricam* maximè ſolari adfectus hyſtericos, & motus uteri convulſivos; hinc dici poteſt optimum uterinum; membranoſam enim & nervoſam uteri ſubſtantiam irritatam valdè placat. Et ob abſorbendi & humorum acrimoniam mitigandi virtutem, medicamentum ſine pari in epilepſia hyſterica eſt. Ita pulvis abſorbens, cujus compoſitionē Cinnabaris nativa ingreditur, in hyſtericis adfectibus eſt utiliſſimus. Ex quibus hunc colligimus canonem medico-practicum: omnia cephalica ſunt quoque uterina; ſive in ſpecie: omnes herbæ cephalicæ etiam uterum reſpiciunt, & vice verſâ. In quo ſenſu potiſſimum hic canon, ob ſocietatem ſubſtantiæ, & convenientiam ac analogiam partium nervoſarum valet.

Fœtum pellit Cinnabaris nativa, quatenus mitigat, & nervoſum genus ſolatur, cujus irritatio dolorifica ſæpè difficiliorem partum reddit. Cinnabaris etiam, tanquam uterinum confortans, fœtus exitum accelerat. Confer. *Chr. Langii Miſcellan. Curioſ. tit.32. pag.97. & ſeq.*

CAPUT XXXIV.

Cinnabaris Mineralis correctæ usum in arthridite, scabie, erysipelate, &c. perpendit.

ARthriticorum titulum, quæ articulis & junčturis quasi propriè debentur, subeunt etiam quæ 🜍re fixo, naturæ amico pollent. Quæcunque enim symptomata in genere à salinis spiculis, acribus, salsis, acidis exsurgunt, in 🜍rea viscositate, demulcendique amica naturæ vi solatium inveniunt. Subeunt hunc sensum inprimis Cinnabarina, ut Cinnabaris mineralis & Cinnabrium ♁nii, quæ & partium nervosarum dolores omnes unicè solantur & respiciunt, ac inprimis quoque articulorum cruciatus, præcipuè si cum opiatis maritentur. Hæc etiam sub eo titulo, quod serum respiciant, arthriticis conveniunt. Sunt enim Cinnabarina quoque resolventia, fluxilitatem sero fœnerantur, coagulationemque maximè prohibent; & tùm aliàs, tùm præprimis hoc casu fluxile reddunt serum. Deindè dolorem ipsum urgentem, à tensione & vellicatione membranarum oriundum, respiciunt, quem sedant præsertim, si fonti ipsi, nempè visceribus depuratoriis & seri acrimoniæ aliis fuerit prospectũ. Conveniunt verò hæc, utut externè ☿rialia, apprimè in doloribus articulorum, & aliis à lue venerea oriundis, ubi emplastrum de ranis cum ☿rio *Vigonis* prodest.

In omnibus doloribus gravioribus, & præsertim in arthritide convenire Cinnabarin mineralem scribit *Georg. Wolffg. Wedelius*, Medicus & Philoso-

phus

phus acutissimus, *de Medicam. facult. lib.* 1. *sect.* 1. *cap.* 2. *sect.* 3. *cap.* 1. *&* 11. Item *lib.* 2. *sect.* 2. *cap.* 10. tensionem enim & vellicationem membranosi generis tollit, acorem & acrimoniam, si qua adest, absorbet & præcipitat. Laudanum opiatum cum Cinnabari nativa mixtum laudatissimum fieri medicamentum in arthritide vaga scorbutica aliisque gravibus affectibus, à sero acri acidoque dependentibus *Idem Opiolog. lib.* 1. *sect.* 2. *cap.* 7. asserit. Et hæc Cinnabaris nativa apud septentrionales, cùm serosiores sint, benè resolvitur. Egregiam virtutem Cinnabari ♁nii, seu potius Cinnabari nativæ *Ungaricæ* vel *Armeniacæ* in arthritide vaga scorbutica debellanda, ob vim suam anodynam, sanguinemque depurandi, nervos nervosasque partes roborandi adscribit *Val. Andr. Mollenbroccius tr. de arthritid.* vag. *scorbut. c.* 11. *&* 14. Et maximum levatorium Cinnabarin nativam esse in hypochondriacorum arthritide vaga paresique nec non in nervosis hystericisque doloribus dicit Dn. D. *Dan. Ludovici de Volatilitat. Salis Tartari pag.* 70. *&* 71. In scabie & erysipelate, item in aliis multis adfectibus externis insignem usum habet Cinnabaris nativa; seri siquidem acrimoniam & acorem absorbet, ejusque ebullitionem & motum cohibet; inprimis autem efficax satis est, si cum diaphoreticis aliis permisceatur.

CAPUT XXXV.

Cinnabaris Mineralis usum externum in morbis dilucidat.

USum Cinnabaris mineralis internum, præterquam quòd pulveri antepileptico *Cratonis* nonnunquam permixta deprehendatur, nullum facit *Joh. Schroderus Pharmacop. Medic. Chymic. lib. 3. cap.* 16 extrinſecus autem adhiberi poſſe ad ſanandam luem veneream, ſcabiemque aliam, in ſuffimentis, &c. cenſet Verùm celeberrimorum Medicorum experientiâ freti, uſum ejus internum jam approbavimus. Et ſicuti in hac egregia latent arcana, contra infinitos affectus internè adhibita: ita etiam extrinſecus mira præſtat, carpis manuum ſaltem applicita, prout in illuſtriſſima quadam Matrona, variolis cum ſpaſmo laborante, ſumma cum ejus euphoria fuit expertus *Frid. Hoffmannus Clav. Pharmaceutic. Schroderian. lib. 3. cap.* 16. Sic etiam ex Cinnabari nativa Unguentum contra epilepſiam & alios morbos malignos ſequenti modo compoſuit. ℞. Cinnabar. nativ. ℥ß. Lapid. ophitæ ℥iß. Magnet. ʒij. Ol. ſtill. macis, nuc. moſchat. de guajac. corylin. ana gt. iij. Confect. alcherm. ʒß. Ung. alabaſtrin. q. ſ. Miſc. fiat unguentum, ad bregma, frontem, tempora, &c. Aliis quoque unguentis, balſamis & emplaſtris cephalicis, epilepticis, apoplecticis, hyſtericis, arthriticis, &c. Cinnabaris hæc mineralis optimè miſcetur.

CAPUT XXXVI.

Cautelas & Regulas nonnullas circa Cinnabaris Mineralis uſum obſervandas commendat.

CAutelæ & regulæ circa Cinnabaris mineralis uſum benè obſervandæ (quas etiam paſſim jam adduximus) ſunt ſequentes.

1. Cinnabaris mineralis cruda venenum eſt; optimè verò præparata, ſalutare medicamen evadit.

2. Univerſalibus præmiſſis, Cinnabaris nativa eſt exhibenda.

3. In fluoribus alvi ſymptomaticis magis nocet Cinnabaris nativa quàm prodeſt.

4. In morbis fluidis ſudoribuſque colliquativis & ichoreſcentia ſanguinis nimia Cinnabaris nativa cautè adhibenda eſt.

5. Cinnabari nativæ ſoli in febribus malignis, peſtilentialibus, petechialibus, *Ungaricis*, peſte, variolis, morbillis, &c. tutò non eſt fidendum.

6. Ubi ſerum in his adfectibus coagulatum eſt, optimum eſtCinnabrium nativum bezoardicorum mineralium acceſſorium, non autem primarium.

7. Si verminatio peſtem producat vel nutriat, Cinnabaris nativa eam tollere valet.

8. Cinnabaris nativa ſudorem magis movet, ſi acceſſoriis aucta ſit, ſerum abundet, & æger ad eum proclivis ſit.

9. Exaltando ſudorem movet Cinnabaris nativa; attemperat etiam, aut præcipitat aut abſorbet ſeri acrimoniam.

10. Cinnabaris nativa aut occultè aut manifeſtè

agit;

agit; occultè vim anodynam habet; manifeſtè ſerum acre & ponticum attemperat.

11. Quibus ſerum acre & ponticum copioſum ineſt, iis Cinnabaris nativa convenit.

12. Ubi ſerum deficit, ibi minus Cinnabaris nativa conducit.

13. Phrenitidem idiopathicam non facilè curat Cinnabaris mineralis.

14. Epilepſiam ſympathicam facilius extirpat Cinnabaris nativa, quàm idiopathicam, hæreditariam & confirmatam.

15. In & poſt paroxyſmum epilepticum Cinnabaris nativa exhiberi poteſt.

16. Doſis Cinnabaris mineralis genuina ultra grana x. vel xij. non eſt extendenda.

17. In infantibus & pueris uſus Cinnabaris nativæ ſine noxa continuari poteſt.

18. Arthriticis exhiberi poſſunt pulveres 20.30. quos Cinnabaris mineralis ingreditur.

19. Cinnabaris nativa ſemper in appropriato vehiculo eſt exhibenda.

20. Cinnabaris nativa ſolitarie ſumpta non nocet, minus etiam nocebit additamentis juncta.

21. Olea deſtillata cinamomi caryophyll. &c. ob fragrantiam non ſunt omittenda, ſi affectus id efflagitet.

22. Cinnabaris nativa etiam aliis medicamentis compoſitis permiſcetur.

23. In Cinnabari minerali qualitates primæ non attenduntur; ſed ejus vis in ♀re ♁nii ☉lari & ⊖ le ☿riali conſiſtit.

24. Cinnabaris nativa purgat.

25. Cinnabaris mineralis per ſe draſticè non purgat.

26. Ptyalismum excitat Cinnabaris nativa.

27. Cinnabaris mineralis vigor remissior videtur, ♁nialis fortior, factitiæ vehementior.

28. Purgantibus infantum addi c. c. spagyric. præp. ebor. præp. corall. rubr. præp. & Cinnabaris nativa possunt.

29. Hypochondriacorum, scorbuticorum & hystericarum catharticis etiam Cinnabaris mineralis potest addi.

30. Cinnabari nativæ optimè ⊖lia volatilia & fixa permiscentur.

31. Minium naturale ab artificiali benè distinguendum est.

32. Habent & Philosophi suam Cinnabarin, quæ tamen à Cinnabari minerali differt.

33. Quem processum & ordinem servat natura in confectione Cinnabaris nativæ, eundem observat etiam Ars in ♎tione ♁nialis & factitiæ; cum particulæ ☿riales loca permeant ♀rea, tunc compede ♀reo fortiter vinciuntur.

34. Omnem ventriculi ac intestinorum digestionem subterfugit Cinnabaris mineralis, nec in corporis nostri œconomiam distribuitur.

35. Odoretenus, vel nudo saltem aspectu variis mirisq; modis Cinnabaris nativa Archeum alterat.

36. Cinnabaris mineralis sæpè eodem colore eodem sapore, eademque substantia excernitur.

37. Per naturam unita & conjuncta in Cinnabari nativa, per artem Chymicam non sunt separanda, ne à nativa sua abducatur indole.

38. Acidorum abstractione alteratur & invertitur Cinnabaris mineralis virtus.

39. Pars Cinnabaris nativæ ♀rea per alcalia non est digerenda.

40. A

40. Ad aquas fortes destillandas non adhibenda est Cinnabaris mineralis.

41. In Cinnabari nativa multa latent naturæ arcana.

42. Aurum & argentum in se continet Cinnabaris mineralis.

43. Secretum maximum pigmentariorum est Cinnabaris nativa.

44. In portentosis ignium exitialium machinationibus miranda præstat Cinnabaris mineralis.

45. Ex Cinnabari nativa parari potest lapis Philosophorum.

46. Cinnabrium minerale longam promittit vitam.

CAPUT XXXVII.

Usum Cinnabaris Mineralis, seu Minii Naturalis Mechanicum varium indicat.

IN elegantioribus parietum tectoriis Cinnabari, tempore *Dioscoridis*, usi sunt pictores; & hodie usum illius norunt, qui rubrum sanguinei coloris atramentum desiderant. Confer. *Guil. Goersee in arte illuminandi part.6.* Cinnabrium prius parant siccum, absque ullo liquore molendo super lapidem porphyritem, deindè bis aut ter aquâ aspergunt, & super novos lateres extendunt, ut siccetur, tandem exigente occasione cum aqua gummata vel albumine ovi, vel lacte ficulneo, vel oleo nucum miscent, juxta opus, quod pingere cupiunt, hînc sive hoc, sive Minio utantur, miniatores dicti fuerunt.

Præterea Cinnabari Alchymiſtæ ſternunt ſolem lunam & reliquos planetas terreſtres, ut metalla perfecta & imperfecta; quæ crucibulo clauſa aut alio vaſe figulino in fornacibus urunt, ut in calcem convertantur, & ſuam formam penitus exuant, quam à Cinnabrio aſſumptam, & in eo repoſitam eſſe virtutem lapidis ſui Philoſophici opinantur.

Alii à Cinnabari ☿rium elicere nituntur, illum à ♀re ſeparantes, ut priſtinæ formæ reſtituatur, & ſuam naturam mobilem, fluxilem, terſam, & abſque ſordibus mundam adipiſcatur.

Qui corallia rubra mentiuntur, maſſam opificii Cinnabrio tingunt. Vid. *Theophraſt. Paracelſus in Manual. prim.* Et unguentis coloris causâ Cinnabaris & anchuſa adduntur. *Plinius hiſt. nat. lib.* 13. *cap.* 1.

Cera hodiè Cinnabrio inficitur, ut colorem rubrum acquirat, ad epiſtolas ſigillandas, & ad alios etiam uſus, ut docuit *Plinius*. Olim ſimilem ceram appellabant miniatulam, quam præſertim adhibebant ad notandos in ſcripturis errores; quapropter, ubi talis cera conſpiciebatur, loca illa corrigenda deſignabat. Hûc reſpexit *Cicero*, ſic ad *Atticum* ſcribens; *ceras tuas miniatulas extimeſcebam.*

Tantâ fuit æſtimatione Minium apud antiquos, ut illo ſimulachra Deorum tingerent; hujus teſtem habemus *Plinium hiſt. nat. lib.* 33. *cap.* 7. qui faciem ſimulachri *Iovis* diebus feſtis Minio illini ſolitam retulit; imò & triumphantium corpora; idcircò *Camillum* ſic triumphaſſe, & additum unguentis cœnæ triumphalis, & à Cenſoribus etiam *Iovem* miniandum locari ſcripſit. His addimus, quòd apud populos *Æthiopicos* proceres illo tingebantur, &

ibi

ibi quoque Deorum ſimulacris talis color addebatur. Pariter *Alexander ab Alexandro lib.*1.*cap.*20. *Æthiopes* præliaturos dimidiam corporis ſui partem Minio, & dimidiam gypſo inficere ſolitos eſſe ſcribit. In celebritate feſtorum *Bacchi* ejus ſimulachrum Minio fuiſſe mangonizatum pronunciat *Pauſanias in Achaicis.* Et *Panis* ſimulacrum Minio ſanguineiſque ebuli baccis rubuiſſe aſſerit *Virgilius, Eclog.*10. ſic canens:

Pan Deus Arcadiæ venit; quem vidimus ipſi
Sanguineis ebuli baccis Minioque rubentem.

Hînc fortaſſe nobiles *Italorum* matronæ fucum ex Minio vel Cinnabari, ſibi comparantes, ad augendam majeſtatem faciem illinunt, ut coloratiores & rubicundiores viris ſuis appareant; rubedinem enim vultus pulchritudini ſummæ *Itali* adſcribunt. Minio corpora tinxerunt etiam *Maxyes in Africa* & ruſtici in *Latio* ſacra *Bacchi* celebrantes.

In tam ſingulari honore apud priſcos erat hoc pigmenti genus, ut teſte *Cantacuzeno* juramenta Imperatorum Minio ſubſcriberentur.

Similiter notæ illæ librorum fuerunt miniatulæ, quas paragraphos, coronides & aſteriſcos ſuïs nominibus appellarunt Poëtarum interpretes, ut in antiquo *Pindari* exemplari animadvertimus. Quinimò librorum tituli hoc præcipuo honore afficiebantur, ut Minio decorarentur. Quocirca *Ovidius* alloquens ſuum *libellum triſtium alloquiorum* cum Minio indignum reputavit, dum hunc in modum cecinit:

Nec titulus Minio, nec cedro charta notetur.

Olim etiam legum tituli & primæ literulæ rubricâ vel potius Minio pingebantur; unde *Juvenalis Satyr.*14. majorum leges rubras appellavit:

Perleges rubras majorum leges.

Et *Persius Satyr.*5. ita cecinit:

Excepto si quid Masuri Rubrica vetavit.

Atque indè titulos librorum dictos volunt, nimirum à tutuli similitudine. Est autem tutulus *Festo* flaminecarum capitis ornamentum, extructum in altitudinem, quòd fit vittâ purpureâ crinibus innexâ; hînc *Martialis:*

Rasum pumice, purpuraque cultum.

Miniatores ideò dicuntur, qui librorum inscriptiones & capita Minio ornant. Vid. *Mag.cap.*14. *lib.*1. *Sim.Schardius in Lexic.juridic.ad voc.Rubric.*

Minium quoque in scriptura voluminum antiquorum juxta *Plinii* sententiam usurpabatur, clarioresque literas, vel in auro, vel in marmore, vel etiam in sepulchris reddebat. Minio & chrysocollâ solùm sterni mandavit *Caligula,* ut scribit *Ioh. Rosinus Antiq. Roman. lib.* 5. *cap.* 4. *ex Suetonio in Caligula.*

CAPUT XXXVIII.

Ex Minera Cinnabaris posse parari Lapidem Philosophorum asserit.

EX ☿rio & ♀re simul mixtis constare Lapidem Philosophorum docuerunt cum *Paracelso* Chymicorum & Alchemistarum præstantissimi, ut *Gerhardus Dorneus in lib. de transmutat. metallor. Laur.Ventura de Lapid.Phil.cap.*7.10.11.*&* 29. *David Lagneus Harmon. Chymic. cap.* 1. *&* 3. nec non *Philosophus* quidam *Anonymus Introduct.de Arbore Solari cap.*5. In eo Mercurius est materia, & ♀ur est for-

forma. Si verò ſumpſerimus 🜍ur & ☿rium, quodlibet ſicut eſt in ſua natura, oportet nos illa commiſcere, quia proportionem debitam ingenium humanum penitus ignorat, & poſtea coquere in ſolidam maſſam, quod nihil valet. Ideò inveniendum eſt quoddam corpus, in quo prædicta duo, ☿rius ſcilicet & 🜍ur, ſunt debito modo adunata; & hoc erit ſecretum maximum; & propter hoc iſte lapis vocabitur Mirius, id eſt, ☿rius 🜍reus. Lapis ille, qui erit ☿rius Philoſophorum, non invenietur in cavernis, ſed erit corpus & ſpiritus. Corpus verò illud, in quo ☿rius & 🜍ur debito modo ſunt conjuncta, minera cinnabaris eſt. Ex hac lapis Philoſophorum paratur. Cujus artificii modum ab initio, medio & fine jam unà cum aqua, 🜍re, balſamoque ſuis aperiemus. Quorum trium ſolutione, & rurſus in unum conjunctione, totum rei negotium ad hunc modum abſolvitur.

Sumatur Minera Cinnabaris, & abluatur aquâ cœleſti per tres horas, tandem coletur, & ſolvatur aquâ regiâ facta ex ⊕-lo, ⊖le petræ & ⊖le communi. Per alembicum abſtrahatur, iterum affundatur, & cohobando curetur, ut purum ſeparetur ab impuro. Putrefiat equino fimo per per menſem, & poſtmodum ſeparentūr elementa, ut cum ſigna ſua patefecerint, per alembicum deſtillentur igne primi gradus, quo aqua & aër primò aſcendunt, ac tandem ignis, idque reliquis gradibus; quæ omnia ab experto operatore diſcerni poterunt. In fundo vaſis terra manet, in qua latet hoc omne, quod à multis quæſitum fuit, à pauciſſimis tamen inventum. Terram hanc reverberatorio concluſam artificaliter calcinabis, à primo in quintum gradum procedendo, gradu quolibet ſpatio quinque hora-

rum: hoc fiet, ut ⊖l volatile habeas admodum ſubtile, velut alcool, & conſtans aſtrum ignis & terræ, quod ſeparabis per elementa aquæ & aëris, quæ ſervâſti prius. Tandem ponito in digeſtionem balnei maris octo horis, & videbis, quod multis Alchemiſtis hactenus incognitum fuit ac minimè conſideratum. Separa juxta tuam experientiam artificioſè & ſpagyrico modo, reddetur ipſa terra mirum in modum alba, ex qua tinctura fuerit extracta. Conjunge deinceps elementum ignis cum ⊕le terræ alcoliſato, per digeſtionem & pellicanicum artificium, adhuc aliud ſedimentum ponet iſta ſubſtantia, quod quidem à puro ſeparabis.

Tùm demum accipe pellicanatum leonem, qui ab initio inventus eſt. Cum videris tincturam ejus & elementum ignis ſuper aquam, aërem atque terram, ſeparato per tritorium, & ☉lem ejusmodi cola per inclinationem; eſt enim aurum potabile. Alcoole dulci vini perfundatur & abſtrahatur, uſque dum acredo nulla percipiatur amplius aquæ regis.

Separato hoc oleum ☉lis, & ponito in vas retortum, *Hermetico* ſigillo clauſum, ad elevationem id eſt, ad exaltationem, ut ſuo gradu dupletur. Vitrum hoc optimè clauſum ponatur in locum frigidum, non ſolvetur ibidem, ſed coagulabitur, idque tertiò repetendum eſt, ſolvendo & coagulando. Hoc artificio tinctura ☉lis perficitur in ſuo gradu.

Tandem ſumito hujus duplum de Venere ad ſummum & ſpagyrico modo præparata, ad quam elementa aquæ & aëris affundas, quæ ſervâras, ſolvito, ac putrefacito per menſem, ut prius. Et cum ad perfectionem devenerit, videbis ſignum elementorum: ſepara unum ab altero, ſiquidem ocular iter apparet ab albo rubeum ſecretum. Hoc ab albo

ſepa-

ſeparabis; eſt enim tinctura rubea, tam potens, ut alba corpora quæque in rubedinem tingat, vel rubea in albedinem, quod valdè mirum eſt. Tincturam hanc per retortam urgeto, videbis nigredinem aſſurgere, quam iterum urgebis per retortam, idq́ue ſæpius, donec albeſcat. Proſequere hoc tuum opus nec animum deſpondeas præ nimio labore. Toties rectificato, quouſque viridem leonem verum & clarum videas, ponderoſum, qui tingit in aurum perfectum. Non deſiſtas ab opere, donec ſigna habeas & videas leonem atque theſaurum non perſolubilem. Bene ſit illi qui repererit, & ád tincturam applicare noverit.

Hoc eſt balſamum verum aſtrorum cœleſtium, quod nullum corpus in putrefactionem abire ſinit, lepramque nullam, podagram aut hydropiſin in expulſas relinquit, adminiſtratione grani unius, ſi fermentabitur cum 🜍re ⊙lis. Omnia docebit ac patefaciet aquæ natura.

Sumito igitur Liquoris mineralium quantum voles, ⊖ lis rubeæ terræ partes duas, 🜍ris ⊙lis partem unam. In pellicano poſita ſolvantur & coagulentur tertiò. Hâc viâ tincturam habebis Alchemiſtarum, cujus pondus hoc loco minimè deſcribendum, ſed ſuo loco reſervandum. Quicunque ⊙lis aſtri unciam unam habuerit, & ſuper aliquot uncias auri projecerit, proprium ſuum corpus tinget. Aſtrum ☿rii ſi habuerit, totum corpus ☿rii vulgi ſimiliter tinget. Si ♀ris aſtrum, non abſimili modo ♀tis corpus integrum in optimum aurum tinget, inque ſummam & conſtantem perfectionem: ſic de reliquis metallorum, ut ♄ni, ♂tis aſtris judicandum, ex quibus eadem ratione tincturæ trahuntur.

His

His paucis primum ens metallorum & mineralium terræ ſatis abundè veris Alchemiſtis, unà cum tinctura Alchemiſtarum declaratur. Nec eſt quod quiſpiam operantum deterreatur ſpatio temporis menſium novem, ſed absque tædio progrediatur ſpagyricoductu, quo quadráginta diebus alchemiſticis figere poterit, extrahere, exaltare, purificare, fermentarè & coagulare Lapidem Alchemiſtarum, ad honorem Dei, cui ſit laus, honor & gloria.

Tinctura hæc, ut verus Philoſophorum lapis, excellentiſſimas ſuper omnes lapides alios virtutes habet. Mercurium ſiquidem crudum in igne poſitum & quælibet alia metalla ſubitò in veriſſimum ☉lem omni naturali meliorem convertit. Iſtud quoque eſt hujus tincturæ ſecretum, quod hujus rei una pars mille partes in puriſſimum Echeb convertat. Homines inſuper in ſuavitate & juventute conſervat, repellendo ab eis cunctos languores. Lepram depellit, morbum caducum, & alias multas ferè incurabiles infirmitates mulcet, ac etiam removet. Et hæc omnia operatur plus quàm omnes Medicorum medicinæ, vel potiones, vel confectiones quæcunque. Præſervat etiam & protegit hæc medicina in confectis oppoſita, ne quis morbus eidem advenire in futurum poſſit. Sicq; fit antidotum & medicina omnium corporum curandorum & purgandorum, tàm metallicorum, quàm humanorum. Conſervat ſanitatem & roborat virtutem, purgat ſpiritualia, purgat pulmonem, venena cuncta expellit, morbos tollit, leproſos in vino bibita paulatim curat.

CA-

CAPUT XXXIX.

In Cinnabari Minerali latere aurum & argentum demonstrat.

APud peritos artifices constat in Cinnabari minerali & auri & argenti latere principia; conjicere quoquenonnihil possumus ex *Callisthene*, & ipsum, & *Theophrastum*, & *Aristotelem* in ea fuisse sententia, quòd metalla possent inter se verti, cùm unam tantùm formam illis assignaverit ipse *Callisthenes*, quam facilè *Galenus* admisit, ex accidenti tantùm differre illa, nonnullis rationibus argumentatus, si legitimus ille *Galeni*, non suppostitius liber habendus sit.

Nos verò ut assentiri hac in re duce ratione *Callistheni* possemus, effecit etiam multorum Alchemistarum multiplex experientia, quâ seorsum aurum, seorsum argentum diversis granulis effici ex Cinnabari minerali: itemque simul & aurum, simul & argentum eodem tempore ex eadem Cinnabari minerali parari viderunt, & si quando quod jacebat ab auro disclusum, liquore eo acuto, quem vulgus partientem aquam appellat, compererunt, multum auri & argenti contineri facto id periculo planè constitit. Dum agit de *natura Vincentius Burgundus*, veram artem non solùm à se cognitam asserit, quâ aurum & argentum segregari, verum etiam eam, quâ fieri censet, motus & ipse fortassis rei experientiâ, utpote qui deprehenderit, ea cæteris in metallis latitare.

In Cinnabari minerali præprimis latitant aurum & argentum, cum ♀re & ☿rio, quæ materia auri & argen-

argenti ſunt vera, præ aliis mineralibus & metallis gaudeat, & quidem non vulgaribus, verum ſingularibus ac metallis inſitis. Sulphur igitur vulgare non eſt materia auri & argenti, verùm quod ex corporibus metallicis & Cinnabari minerali extrahitur. Nec ☿rius hic, quem diximus eſſe materiam auro & argento proximam, eſt ille vulgaris ☿rius, qui palam à mercatoribus venit, & ex *Hiſpania* aut *Germania* advehitur, ſed qui ex corporibus imperfectè miſtis, plumbo, ſtanno, ære, ferro ſubtili, nec non Cinnabari nativa ſingulari arte prolicitur. Inter quos omnes & vulgarem, nulla, niſi in ſolis accidentibus quibuſdam, eſt differentia. Fluidi enim æq; ſunt ferè & ejuſdem proportionis & gravitatis.

Verùm ☿rius corporum magis eſt coctus vulgari, quin etiam inter ſe alius alio magis aut minus digeſtus eſt. Omnes tamen vi ignis in vaporem feruntur ſurſum, alii celerius, qui minus cocti, alii tardius, vehementioriſque ignis vi, qui magis decocti ſunt. Atque hac de cauſa ☿rius vulgaris, qui indefinitam valdè habeat humiditatem, omnium celerrimè in fugam vi ignis abit. Qui autem in corporibus metallicis inſit ☿rius, ex eo quodammodo judicatur, quod fuſa & igne liquata omnia ☿rius fluidus conſpiciantur, quamvis frigore proprio ab igne depoſita rurſus conſtent.

Ex omnibus equidem metallis, ferro excepto, ☿rius fluidus excernitur, beneficio ☿rii vulgaris.

Abluendo enim & macerando perfectè, quicquid impurum eſt, & à natura ☿rii alienum, abit in fœcem, quod ſuper eſt, vaporario calore ſolvitur.

Atque etiam abſque ♀re, ſolum iſtud argentum vivum, quod ☿rium dicimus, nihil aliud eſt, quàm argentum & aurum crudum & indefinitum, quod à cauſa efficiente definitum ſtatim in illa tranſit.

Cum

Cum igitur Cinnabaris mineralis & reliqua metalla mutantur in aurum aut argentum, forma substantialis illorum non perit, sed sola accidentaria. Compositum non corrumpitur, sed perficitur; non enim corrumpitur compositum seu subjectum, sed aliquid generatur potius, & nova forma substantialis exoritur. Sed quoniam multi, huic opinioni contradicentes, sunt, quod duæ formæ in eodem subjecto subsistere nequeant, quærimus ab iis, an forma substantialis uvæ immaturæ sit eadem, quæ maturæ, an diversa? Eos responsuros putamus, eandem utriusque formam esse substantialem: & inchoatam dicere verebuntur. Atqui uva hæc immatura est, cùm maturitate seu coctione perfici possit. Ergò perfectio hæc non ad formam substantialem pertinet, sed ad accidentariam. Ast dicent: Quod antea fuit, & nunc non est, corruptum est: Ergò forma prior, quæ erat in composito, periit, & nunc alia orta est. Sic docent, solum ☿rium, qui prius erat, corruptum esse, postquam mutatum fuerit in aurum vel argentum. Quibus concedimus, cum mutatus fuerit ☿rius in aurum vel argentum, mutationem, aut etiam corruptionem fieri accidentium priorum, & formam priorem accidentariam interire, & generationem fieri aliorum accidentium, & aliam formam accidentariam oriri in subjecto. Ast non propterea forma substantialis, seu actus prior in ☿rio evanescit, sed persistit: & ☿rius, ut aliquid compositum, quod erat imperfectum, perficitur.

In hac autem mutatione ☿rii tam vulgaris, quàm ejus, qui metallis est insitus, in aurum vel argentum, non omnia priora accidentia pereunt. Quæ enim auro, argento & ☿rio propria & communia sunt, non pereunt, sed persistunt.

Hæc

Hæc autem ſunt accidentia propria & his communia, præſertim auro & ☿rio, illorum videlicet compoſitum ab igne non corrumpi, nec exuri, humido unctuoſo, cremabili & urente omninò eſſe expertia, indiſſolubilem eſſe miſtionem eorum in partes ſubſtantiales, eſſe graviſſima, & quæ ſunt alia. Verum quædam tantùm accidentia percunt, quæ non ad formæ ſubſtantialis proprietatem pertinent: ſed accidentariæ ſunt, eſſe nimirum ☿rium tenuem, liquidum, volatilem & indefinitum; cùm enim non ſit craſſus, ſolidus, fixus & concoctus, definitur & perficitur.

Hoc igitur conſtans & ratum eſt, ☿rium, vel vulgarem, vel qui metallis imperfectis ineſt, ſolâ formâ accidentariâ differre ab auro & argento, non autem ſubſtantiali. Quæ tamen ſenſu non percipitur per functiones, ſed ratione per intellectum, & quæ exinanitis prioribus formis accidentariis quibuſdam, quæ non ad ſubſtantialis formæ proprietatem, ſed accidentariæ pertinent, poſſit auri & argenti functiones omnes expromere, quæ ſunt: ignibus reſiſtere, omniaque eorundem examina perpeti, ſecundum utriuſque naturam.

Cauſa veta & naturalis efficiens aurifica & argentifica in auro & argento, non verò in aliis corporibus aut rebus quærenda aut ſperanda eſt. Ignis eſt principium generandi & augendi ignis ex alio corpore. Aurum & argentum ſunt principia auri & argenti generandi & augendi in proxima materia. Ignis externus eſt cauſa efficiens adjutrix: princeps autem cauſa eſt aurum & argentum. Sed cum vis illa aurifica aut argentifica inſita ſit auro & argento, & miſtione eorundē cum materia proxima perfectio conſummetur, cur metallis aut ☿curio miſta eadem non perficiunt. Non enim ☿rius auri malagmate

mi-

miſtus perficit ☿rium, ſed hic igne in vaporem ſolvitur, qui tamen frigido rurſus in ☿rium redit, aurum autem perſiſtit. Sic plumbum igne liquatum cum argento vel auro non perficitur in argentum vel aurum, ſed illud in examine cineritiũ cernitur: hæc autem in eodem perſiſtunt? Non inutilis eſt hæc quæſtio, imò quæ totum huius artis arcanum detegit, cujus explicationem qui ignorat, eum in praxi cœcutire neceſſe eſt. Ita autem ſolvitur: Forma in unoquoque corpore primum & præcipuum efficiens eſt, in quo vis, facultas & proprietas eſt occulta, per quam agit, & quę ſola eſt inefficax ad agendum, niſi qualitatibus primis & ſecundis, tanquam inſtrumentis, inſtructa ſit: non ſecus ac artifex, qui ſtatuam quidem animâ effingere poteſt, aſt illam lapidi inſculpere ac oculis conſpicuam reddere ſine inſtrumentis non poteſt. Sic forma auri & argenti inſitam quidem habet aurificam & argentificam vim & facultatem ex proprietate occulta, ſed quæ eſt inefficax ad agendum, niſi viribus qualitatum armata ſit. Itaque aurum & argentum in natura ſua non alterata, non agunt in metalla, aut ☿rium, cum iis miſcentur. Dubia, quæ circa hæc occurrere poſſent, brevitatis cauſa omittimus, & ad alia progredimur.

CAPUT XL.

Secreta varia de Cinnabari Minerali, factitia, item de Minio producit.

QUemadmodum in Cinnabari minerali, ſic quoque in factitia ut & in Minio varia & egregia latitant arcana & ſecreta, de quibus *Iohan. Bapt. de Porta*, *Ioh. Iacob. Weckerus*, *Alex. Pedemontanus*, *Andr. Libavius*, *Mizaldus*, *Fallopius*,

I.B.Besardus, Cæsar Longinus, Kunckelius,&c. consuli poterunt. Cùm verò de quibusdam in superioribus jam diximus, cætera breviter tangemus.

Egregiè non tantum per Cinnabarin metallorum transmutatio perficitur, ut apud *Andr. Libavium Syntagm. Arcan. Chymic. lib.7. cap.7.* videmus, sed fixa etiam in auri & argenti augmentum redditur. Ut verò Cinnabaris pro auri augmento reddatur fixa, requiritur peculiare fixationis sal, quod hoc modo paratur: Cape ⊕-li partem unam cum pari quantitate ⊖ lis communis. Adde partem dimidiam æruginis. Solve omnia aquâ ⊕-li. Destilla per filtrum; coagula & calcina ad rubedinem sanguineam seu coccinam Cinnabaris. Sume postea Cinnabarin, & in pyxide cæmentatoria dispone utrumque alternis ordinibus, ut fiat stratum super stratum summum & imum obtinente ⊖ le. Clauso vase cæmenta per gradus ignis, usq; in diem septimum, quo debet esse gradus summus. Quinq; diebus fixabitur Cinnabaris quam aquis ablutam calidis, & dulcifactam in liquatum super catillo cinereo aurum iñitte, & exspectari jubetur auri augmentum. Aurum etiam cæmento addi potest, ut animari possit Cinnabaris factitia. Vel etiam Ciñabaris artificiosæ trientẽ contere in porphyrio, additâ aqua forti per horas quatuor. Deindè in cucurbitã injectę affũde hoc oleum. Extrahe essentiam lithargyrii per acre acet, hocq; dempto, pulverẽ illius in vitro perfunde vini spiritu forti & denuò extrahe per modũ tincturarũ. Extractiones coq; ad olei consistentiã; quod oleum addendum est Cinnabari. Coque ad siccum; cui novum oleum infunde, idque etiam tertiâ vice facito, donec materia prunis ferventibus injecta fumum non edat. Alii quoq; lithargyriũ coquunt aceto donec rubeat. Effuso substituunt aliud, idq; donec non am-

amplius rubeat. In hoc acetum immittunt calcem ♀ri & ⊖ lem communem. Solvunt, filtrant, coquuntque ad medias. Liquore hoc quinquies potatur Cinnabaris, tunc semiunciæ uni appone argenti sex drachmas, & colliqua (alii argentum fusum ordine immittunt) fierique dicitur luna fixa, cui par aurum, paremque Cinnabarin fixam adjiciunt, & aurum auxisse putant. Figitur autem Cinnabaris, si cum ⊕-lo, per octiduum sub arena calente detineatur, donec ut plumbum in igni fluat.

Quidam insuper Cinnabarin cum argento figunt; & si Cinnabaris libras Xij. confundas cum marca una argenti, promittunt argenti sedecim besses, quorum dimidia pars sit aurum, ex quo porrò fabricant ☿rium sublimatum, qui sæpius in sublime actus figatur in medicinam albam.

Figitur & Cinnabaris per argentum & cerussam. Hîc autem prius monemus, ne quamlibet Cinnabarin assumamus, sed solidam densamque, cujus bacillum si per ligneum forcipem in eliquatum plumbum immittas, retractum invenias non porosum & exhaustum, rarumve, sed solidum & spissum. Fusum autem plumbum esse convenit, non fervere, quod deprehendes, si non adhæreat demisso cultello; tunc enim fervet; si non adhæret, saltem fusum dicitur. Talis Cinnabaris frangitur in portiones avellanarum quantitate, quæ coquuntur, & lavantur diebus quinque aut pluribus aquâ fixatoriâ, seu diluto ⊕-lato, & salso. Deindè perlinuntur offa ex cerussa & scobe argenti lota, resiccatæque & illatæ in cæmentatorium catinum per dies quinque graduato igni coquuntur, cavendo excessum ignis, ne totum in favillam abeat. Ex cæmento extractam Cinnabarin iuclude vitro forti, quòd foris argillâ sit inductum & probè resiccatum. Præsto sit vas cum plum-

bo fuso, in hoc demitte vitrum, in quo est Cinnabaris, per forcipem ligneum, aut baculum quadrifidũ ut benè sepeliatur obruaturque plumbu. Sine ibi per sextiduum, ita ut concrescat quidem plumbum, sed tamen calidum maneat. Hic primus est gradus. Soluto plumbo retrahe vas, idque luto adhuc adhærente in fusum plumbum per alios sex dies demitte, detineque, ita ut plumbum fusum maneat absque fervore. Iste gradus alter est. Tertius erit, si ferveat plumbum super immersa ampulla, quæ biduo aut triduo in eo calore detinenda est, & omninò fixa Cinnabaris æstimatur, quæ per plumbum fulminata reduci in argentum creditur.

Cinnabarin fixum cum argento hâc ratione reddunt *Ioh. Bapt. de Porta Mag. Nat. l.5. c.6. Ioh. Iacob. Weckerus de Secret. lib.10. cap.11. & Cæsar Longinus Trin. Magic. Tract. Magic. pag.161. 162. & seq.* Qui id facere quæsierit, ita faciendum esse censent: Cinnabaris confractæ partes ad magnitudinem juglandum vitreo in vase capacitatis ejusdem argenti pondere jam triplicato, vel majori disseminatas condito, & vicissim inspersas, luto munias, & resiccari sinito, sin minus in solem, ut repetas oportebit, indè cineribus immersum tamdiu lento igni decoquas, quousque infracto plumbeo colore livescit, quod si nec quidem jugem operam impendas, dum ad id pervenerit: Inde plumbi duplo eluas, ac elotum examinibus omnibus expositum, pertinacius obstabit, majoris ponderis & virtutis, & quò leviori uteris igne, tantò facilius res peragetur. Sic verò animatur argentum, & amissum resarcietur. Sublimatum vivum argentum ex aceto ebulliat, inde vivũ argentum remiscebis, & vitreo recurvo vase vivum argentum in ignem infervefactum devolet, & in recepta-

ceptaculo dilabatur & ſervetur: ponderis, (ſi ſapis,) parum amiſiſſe comperies. Aliter ſic citius & lucroſius facies: Infractas Cinnabaris partes, ad teſſerarum magnitudinem in oblongum linteum ſaccum accommodabis, ollæ lateribus undique diſtantem, inde lixivium peracerrimum fundas ex alumine, tartari duplo, vivæ calcis quadruplo, & cineris roboris æquali portione confectum, uti fieri ſolet, vel ratione aliqua parandum: per diem ebullire ſinas, exime, & ebulliat cum oleo jugem operam impendas, & integram cum nocte diem ſinito quoque illic eſſe, & exemptas ex oleo Cinnabaris partes ovi albumine ſubacto perlinito, ac in tertia parte elimatæ argenti ſcobis revolvito, in fundo apti vaſis ſubſternito, ritè figulari cretâ munito; ignem adhibe diebus tribus, & tàm poſtremò augeſcat, ut igni cedat, & ferè liqueſcat, detrahe, & ex fœcibus extremo argenti examine perluito, & ad verum, & naturale deducito.

Sic & aliter fixum reddere Cinnabarin poſſumus: ſi teſtaceo in vaſe rotundo undique clauſo, ubi exili ſpiramento Cinnabarin immiſeris, glutine ex ovi albumine parato illinas, ne vis ignis carbunculet, igni accommodato, paulatim vigorando, vel lignorum ſerratura, quouſque eundem contraxiſſe colorem cernes: ne feſtines; opus enim omne corrumpit, & ſæpè à Philoſophis præceptum noſces: ſed hoc miniſterium quærit majus. Nec aliter inutiliter fixum reddetur Cinnabari, uſto ære inſperſo fictili in olla, prius tamen calcantho diſſeminato, & calce expleta pertinaci muniatur luto, & triduò vitrariorum fornaci relinquatur, detrahe, & argentum æs retinebit, ſi rectè hæc animadvertes, non parum nanciſceris lucri; omnibus enim anteſtat, qui tali parantur arte, facultate & fructu; nec pauca di-

xiſſe pœniteat. Id autem ingenioſorum reperit diligentia, unius pharmacopolæ exemplo, qui cum Cinnabarin conficere quæreret, in argentum caſu optimè verſum invenit. Utilius fixum redditur, ſi Cinnabaris arte conficitur, ♀re non tam aduſtibili ac majori parte.

Erit quoque voluptuoſum, ſi cui placuerit, è fixo Cinnabari argenteam barbam elicere: ſi vaſe eodem accommodabis, igne ſolum inferius lentè admoto, argentum adhuc ſpirituoſum, nec plumbum expertum, uti ſylva erectum cernes capillamentum, ut nil fuerit viſu jucundius.

Colorem rubeum ſic parat *I. B. Beſardus in Antro Philoſophico pag.* 238. Accipe Cinnabrium cum aqua communi ſubtiliſſimè tritum, & cum ovi albumine multum percuſſo, ac ferè in aquam redacto, tere: cui adhibe poſtmodum aliquid è lacte ficus: acſi paulò ſpiſſiorem colorem, inſtar confectionis alicujus, expetas, adde aliquid de ovi vitello. Confer *Guil. Goerſee. in arte illuminandi part.* 6.

Modum Roſaclerum conficiendi habet *Ioh. Bapt. de Porta Mag. Nat. l.6.c.9.* Denas cryſtalli libras in ollam injicito, ubi optimè liquefactum noveris, immergito libram Minii optimi, dimidiatis vicibus, ferreo veru quàm citiſſimè remiſcendo; nam ſui ponderoſitate facilè in fundum concidet, ubi remiſtum noveris, ex ollula inſtrumentis ferreis, ad id apertis, evellito, & in aquam mergito, idque tertiò repetere ne pigeat: mox ſupra, æris in calcem redacti uncias quinque admiſceto, coloris flagrantiſſimi Cinnabarin, & maximè exagitatum tribus horis conquieſcere, ſinito: Ubi id feceris, ſtanni vitri ſuperaddito ternas uncias, ſine intermiſſione remiſcendo, & floridiſſimum roſæ colorem in vitro perſpicies, quo exornando auro uti poteris.

Vid.

Vid. *Iohan. Kunckelii Ars Vitraria pag.*317. & 318.

Colorem roſeum ſic parat *Ioh. Iacob.* W*eckerus de Secretis c.6.* ℞. Minii partes duas, ceruſſæ partem unam; conterendo probè miſceantur. Vel ſume Auripigmenti & Minii ana partem æqualem, & agitando benè commiſceantur.

Purpurina elegantiſſima pulcherrimaque, quâ color aureus ad pingendum & ſcribendum conficitur, parari poteſt ex ſtanno igne liquefacto; cui, ſi ab igne remotum fuerit, addantur Cinnabaris mineralis & ⊖ l armoniacum. Confer *Ioh. Iacobi* W*eckeri Secreta lib.*16. *cap.* 6. *pag.* 625.

Cinnabarin parandi modum ad ſcribendum ex *Alexio Pedemontano* deſcribit ita *Idem de Secretis l.* 10. *cap.* 11. Cinnabari, cum ſuper lapide porphyrite optimè aquâ communi contritum, deindè exſiccatum fuerit, ponatur in vas aliquod oſſeum vel vitreum, urinaque ſuperinfundatur, relinquaturque ſic aliquandiu; nam fundum materia petet, poſtea auferatur ſenſim urina, atque rurſus recens addatur. Quod cum octies aut deciesfactum fuerit, optimè purgatum erit. Quibus ſic ſe habentibus, ſumito ovorum albumina, optimè agitata, & in aquam puram diſſolvantur; eam aquam ſuper Cinnabarin effundito, ut transverſum digitum emineat, rurſusq; ſimul agitato: deindè cum reſiduum fecerit, auferantur ſenſim ovorũ albumina, rurſusq; recẽtia addantur, fiatq; hoc toties, quoties cum urina factum fuit. Hoc quidem nullâ aliâ ratione fit, quàm ut fœtens ille odor ex urina contractus evaneſcat. His omnibus factis addantur albumina ovorum recentia, miſceantur optimè, & fiat liquor ad ſcribendum & pingendum. Cæterum hic liquor in vaſe aliquo obturato ſervandus erit, deindè, cum quis uti hoc volet, ligno aliquo miſcendus, ſervatur etiam diutiſſimè incorruptus.

Co-

Vid. *Iohan. Kunckelii Ars Vitraria pag.* 317. & 318.

Corallia rubra ingenioso artificio ad hunc mentiuntur modum ex *Mizaldo Gabriel Fallopius de Secret. l.* 2. *p.* 222. & *Ioh. Iac. Weckerus de Secret. l.* 11. *c.* 4. Cornua hirci derasa in scobem & pulverem convertunt, eaque forti lixivio, ex lignis fraxini composito, diebus quindecim infundunt. Postea extrahunt, &, Cinnabari in aqua soluto, miscent, & lento igni comittunt, ut fiat spissamentum. Id veri corallii præ se feret colorem, in quas visum erit formas effingere, siccant, & secundum artem expoliunt. Ceram rubeo colore sic ex *Alex. Pedemontano* tingit *Ioh. Iacob. VVeckerus de Secretis lib.* 16. *cap.* 4. ℞. Ceræ ℔j. *Terebinth.* ℥ij. Cinnabaris super lapidem pictorum benè triti Ol. comm. ana ℥j. Liquefiat cera & terebinthina, demum removeatur & post aliqualem refrigerationem addatur oleum, & Cinnabaris, beneque simul misceantur, & servetur. Nonnulli loco Cinnabaris ponunt Minii ℥iij. pro qualibet libra ceræ. Vid. *Gabr. Fallopii Secret. lib.* 3. *pag.* 283.

In portentosis ignium exitialium machinationibus mira præstat Cinnabaris Mineralis; hinc pulvis pyrius, in bellicis instrumentis mirabiliter operans, fit, si vulgari pulveri pyrio Cinnabaris mineralis, marchasita & colophonia benè permisceantur. Hoc pulvere si quis bellica repleverit instrumenta, ubi ignem admoverit, ingenti fragore dissilit machina, ut adstantium multos interimat.

In argentum vivum reduci potest Cinnabaris nativa. Reductionis modum habet *Andr. Libav. Syntagm Arcan. Chymic. l.* 7 *c.* 18. Cinnabaris etiam factitia excoquitur ex argento vivo & sulphure, & trita ac mista oleo ♀ri & igne valido in vase vitreo, luto obstructo, in vaporem sursum elata, redit in argentum vivum, nec quicquam illi deperit. Idem in ☿rio sublimato evenit. *Gasto Claveus in Apolog Chrysop. & Argyrop.* Hæc de Cinnabari minerali, seu Minio naturali hâc vice dicta sufficiant.

Siſte Lector!

Spirat hîc *Zephyrus*
Qui
Variorum jam operum pater
per Angliam, Belgium, Galliam,
Hiſpaniam, Italiam ſpirans, ac Germaniam
Nunc
Reſpiravit in *Minio.*
In corpore humano primùm accendit *lumen (a)*
Ut
Obſcuris in morbis facem præferret.
Dehinc
Tubam perflavit *Vteri (b)*
Quæ
Angit ſæpè, etſi non clangit:
Zephyrus
Difflavit flatus
& ne
Tuba turbas daret,
Tubæ indixit ſilentium.
Sub hæc
Placentam retexit *uteri (c)*
Quis hoc in furno piſtor pinſeret
&
placidè compoſuit plicas

(a) de novo lumine in Anatomia exorto.

(b) de Tuba uteri.

(c) de placenta uteri.

Renes

-ꙮ-

(d) de admiranda Renum structura.

(e) de Laudano Opiato.

Renes generationis remos instruxit *(d)*
Nec malè
Admiranda de iis dixit, cùm talia ex illis fiant.
Laudanum laudavit *Opiatum*, *(e)*
Sed ne
Obstrueretur cerebrum,
Inspiravit *Zephyrus*
Sic
Opem efflavit ex *opio*
Et *opiata* fecit *optari*.
Lienis
Tubulos aperuit *Zephyrus (f)*
Ne clausi mentem clauderent:
Lienem sic *secando*
Non lene dissecuit malum.
De *Fermentatione*
Optima *conflavit Zephyrus (g)*
Massam alii, ipse *fermentum* dedit.
Hinc quibus
Hoc *fermentum desipuit*,
Iacuêre in fermento.
Praxeos Chymiatricæ
Præmisit *Prodromum (h)*
ut
Secuturis plaustris pararet viam.
Aperuit
Vas breve Lienis: (i)
Arte brevi
Arte longâ
longi mali
Aperuit viam.
Febribus petechialibus (k)
Ipse febris fuit
Malignis malignus,


(f) Anatomia Lienis

(g) de Fermentatione.

(h) Prodromus Praxeos Chymiatricæ.

(i) digressio Anatom. de vase brevi Lienis.

(k) de febribus petechialibus.



&

Quia eas difflavit,
Ardorem temperavit,
Verè fuit *Zephyrus*.
Dum
Recidivos afflavit *morbos (l)*
Fecit *recidivos*
Et ne
Aurum cum morbis ſemper fieret *recidivum*,
Ipſe *opus* compoſuit *aureum*
Rhabarbarum (m)
E *barbaris* ad nos advexit oris
Cujus virtutem docuit non *barbaram*.
Nondum reſpiravit
Reſpirat nunc in *Minio*, *(n)*
Neque nimium,
Si vel in *minimo* aperiat *maxima*.
Sic ſpira *Zephyre*
Affla, confla, & perfla:
Spirabis ſic poſt obitum,
& nunquam expirabis:
Minium
Nomen pinget tuum
In libro æternitatis.

(l) Opus aureum de Recidivis.

(m) Rhabarbarologia curioſa.

(n) de Minio naturali.

Hæc Nobiliſſimo Dn. Authori Amicorum optimo, quem *Zephyrum* & ipſe non ſemel perſenſit æger, ex animo ponere voluit,

Henricus Vagedes

Hiſtor. & Eloqu. in Acad. Haſſo-Schaumb. Profeſſor, & Collegii VVilhelmiani ibidem Ephorus.

